Brackley.

PEDANTIUS.

Comœdia,
Olim CANTABRIG.

Acta in
COLL. TRIN.

Nunquàm antehàc
Typis evulgata.

LONDINI.
Excudebat *W.S.* Impensis *Roberti Mylbourn* in Cœmeterio Paulino ad Insigne Canis Leporarij.
1631.


Dromodotus.
Videtur quod sic


As in præsenti!
Pedantius.

Pedantius de Se.

Indignatio.	*Scilicet haud solus dominaibtur IGNORAMV*
Battismus.	*Roscius alter ero : sed eram quosque Roscius a*
Chronographia.	*Ante quater denos vixi PEDANTIVS annos,*
Paranomasia.	*Vixi, &* Cantabrico *dixi plaudente theatro.*
Confessio.	*Iam mihi (nam lepidis & adhuc ludibria Musi*
Paranomasia.	*Debeo) pressa typis pro scenâ scheda paratur*
Apostrophe.	*Prodeo : Lectorem pro Spectatore saluto.*
Comparatio.	*Maior inest nostra* Verborum Copia *lingua.*
Metaphora.	*Quin & barbarico* Dromodotus *turbine si no*
Mimesis.	*Æquet, at in* punctis formalibus *anteit Istum*
Comparatio.	Lydia *nostra quidem* Rosabellâ *est pulchrior: &*
Decorum.	*Praeceptore suam novus* Ignoramus *amicam*
Rythmus.	*Suaviter affari, & versu roboante procari,*
Polysyndeton.	*Et falli, & ludi, & protrudi in retia discit.*
Aureum.	*Lex* Pedantaeam *decernit Scenica laurum.*

Idem explicans, & applicans.

Paranomasia.	*Dum ludos, non ludo graves, non lado* Scholarc
Synathroismus.	*Quales, quot, quantos habet* Insula *nostra: sed, us*
Aporia.	*Si fuerint, vanos, nasutos Grammaticastros,*
Compositio.	*Blennos, floccilegas, phrasimimos, quisquiliven*
Ingeminatio.	*Si quis erit, si quis, (non fallit Regula) mecum*
Appositio.	*In* numero, genere *& casu ponetur eodem.*



PEDANTIUS. COMOEDIA

Acta Cantabrigiæ in Coll. Trin.

Personæ.

Crobolus. Amator.
Pogglostus Servus Croboli.
Dromodotus. Philosophus.
Pedantius. Pædagogus.
Ludio. }
Bletus. } Pueri discipuli.
Parillus }
Tyrophagus. Parasitus.
Tuscidilla. Hospes.
Lydia. Virgo.
Gilbertus. Mercator pannarius.

Argumentum.

" Lydiam *virginem*, Charondæ *senis*
" *ancillam amabat* Chremuli *o-*
" *lim seruus* Crobolus : *quam eandem*
" *sibi petijt* Pædagogus Pedantius.
" Lydia, *spreto* Pedantio, Crobili
" *capitur amore. Ast serua cum esset,*

" Charondæ Lydia, *minas ille*, *Virgi-*
" *nem vt faciat liberam, poscit triginta*
" Crobolus *astutijs suis suorumque*
" *fecit*, *nummos vt daret* Pedantius,
" *ipse* Lydiam *acciperet.*

Actus. I. *Scena.* I.

CROBOLVS. POGGLOSTVS.


Ominem nihili, inertem, indocilẽ, pessimè moratũ Cacodæmones omnes maiores tui lacerent, insulsissime. Quousque te vt puerulum aliquem præceptis instituam? Nihil proprio potes Marte?

Pog. Tu omnia potes videlicèt. Vis experiri Martem meum?

Cro. Ego istum ineptum, quem videtis in plateis modò errabundum & vagum, hominis misertus, miseri seruuli in locum accepi, vt esset, qui tergum fortitèr tueretur meum, mihiq;

(dum

(dum ego Lydiæ me meæ ostento magnificentius) parasitus esset: Sed ità mehercle rudis est, vt bubulis potius & porcarijs heris conueniat quàm generoso & vrbanis imbuto morib⁹ Crobulo. Aspicite gestū ferocem calcitronis. Hèm, Pogglotte, quis te docuit tàm pulchrè humeros vibrare, natesque?

Pog. Quid tibi rei est cum meis natibus, obsecro?

Cro. Faciam, vt nutus obserues meos improbe. Vbi cultus hero debitus? Cur non aperto capite, flexo poplite, expansis manibus, vultu amabili, motu agili, blandulis assentatiunculis mihi es obsequens? Hæc ego tibi quotiès inculcabo stupidissime? ferreum qui habes cerebrum, cui nullum imprimi potest præceptum, quo te decenter geras?

Pog. Here, *frigent nunc dierum præcepta*, exemplis erudimur omnes aptiùs. Quarè tu paulisper docendi causâ seruum te simules; sic ego tuos ediscam gestus, vultus, mores, verba fœlicissimè.

Cro. Tandèm ſentio ſapere te, Poggloſte; Iſtoc enim pacto poteris vel alter Ego effici: Tu pallium, & pileum accipe: mihi telum cedo: animadverte iàm.

Pog. Servum pol probum; ſed aſſentatiunculas expecto.

Cro. Sic ergò dicas, oportet, *ô charum caput Croboli*, dignumque quod in Veneris recumbat gremio: ô perdulce pectus, omnium Syrenarum ſedem, ventrem verò digniſſimum ambroſia, nectare, Deorum cibis ſaturandum, brachia lacertoſa, quibus turres ſæpè revulſæ ſunt radicitus, pedes autèm ipſis puellarum labijs ſuauiores: hoc verbo provolvi debes humillimè, pedeſque meos oſcularier.

Pog. Oſtende(quæſo) quo modo: meos ſuaviari priùs te volo. Siccine officium negligis peſſime? facito actutùm.

Cro. Falleris, Poggloſte, dominum te videri volui, non eſſe.

Pog. At mihi non placet hypocriſis. Quarè ego Crobolus ſum reuera, iàmq;

Lydiam

Lydiam ambibo amatoriè: tu Poggloste vide vt meum *Hoc* secteris accuratè, vt vestigijs semper insistas meis: pallium, pileum, calcei, caligæ, vide vt tersæ mundæque sint: laudis nostræ buccinator sis, pendeas ex nutu, in verba iures, mandata celeritèr exequare, ista si feceris, ero tibi patronus pater: sin omiseris, ecce brachium lacertosum habeo.

Cro. Ædepol, Poggloste, Dominum agis imperiosè satis, experire nunc quomodò servire possis denuò.

Pog. Tun' seruus tàm confidentèr herum irritas? At familiarem esse oportet Poggloste. Quæso tege caput, nihil est quòd ità submissè te geras: ego sodalis sum tuus: sequere me ocyus.

Cro. Siccine verbero? ensis iste dirimet litem omnem: Viden' hoc sceptrũ? Redde regnum, si sapis, tuque subditus denuò fias.

Pog. Fiat, fiat, ægrè ferrem virum me splendidum rubiginoso perire gladio: vt tibi prosim ere, nullam cru-

cem aut reſtim reformidabo.

Cro. Ego verò iàm id reformido, me dùm huic ſeruire docui, interim ob iſtoc pallium hoc meum plures mihi, quàm velim, apportet ſeruulos, quos cum tenuitas hæc noſtra alere nequeat, excutio lubens. Ad te iàm redeo: pares itaque deinceps te mihi vt in omnibus promptè poſſis ſupparaſitarier.

Pog. Verum iſtoc eſt verbum here: Nàm ego, dùm te ſequor, eſurio vel paraſito magis.

Cro. Imò, furcifer, vel paraſito voracior es; Non ego te dudùm huc vſq; explcui cibis? & hinc eſuris tàm citò? Si exercitũ alere poſſem meis ſumptibus, charybdim illam ſaturare tuam nequirem tamèn: ſi montes panis atri apponerem in menſa tibi, facilè illos totos vel altiſſimos in illam hiantem voraginem conijceres: at verò benè conditi iuris Oceanum abſorberes: ſtatim potando Solem ipſum ſuperas, qui ebibendo humidum, ſiccat omnia.

Pog. Iàm, in redintegratæ gratiæ teſti-

testimonium, tu me complectere, dùm ego te deosculor.

Cro. Deosculeris, sordide, tu me, sterquilinium, chaos, cloaca? Vah.

Pog. Vis vt te honorificè, supplex, prostratus, vt Iouem venerer meum?

Cro. Sum ego tibi iuuans pater.

Pog. Iuuans, pater fortassè haudquaquàm: nàm ex stirpe sat scio oriundus sum nobili, genitor quicunque fuit: Etenim veste sub lacera latet generosum quiddam, imperio dignũ: Tu me ad pedes abiectum tuos postulas? Respondeo, primùm, *Nescit seruire virtus*: postremò nos aulici abiecimus istam ineptam consuetudinem honorandi superiores, imò ne pares quidèm agnoscimus.

Cro. Quid ergò? num me tibi fatebere præponendum esse?

Pog. Vix possum eò altos spiritus demittere: sed tamèn tuam in gratiam simulabo hoc. Nàm certè plurimi te facio.

Cro Tu me etiàm ferre debes

 in-

interdùm tonantem voce terribili.

Pog. At si me audies, cohibebis iracundiam.

Cro. Præterea, si aliquandò verbis sonantibus verbera quoque perpauca (maiestatis maioris causâ) addidero, æqui bonique consulas oportet, Pogloste.

Pog. Here, inest mihi naturalis quædam imbecillitas, quæ duorum pondus pugnorum perferre profectò non potest.

Cro. Sed summa omnium est & quidèm *summa summarum*, vt fidus sis.

Pog. Sum, *idque tibi mea fide præsto, totique reipublicæ.* Mihi olim porticus templi nostri erat pro incunabulis: ibi enim expositũ me mater mea reliquit, aufugitque: ex quo sacer, totus, totus, quantus, quantus fui illicò.

Cro. At metuo malè, furcifer, ne fugi tivus sis.

Pog. Id verò iam anteà denuntio, detineri me ne vnum in diem posse, in cibo & potione vincias: Apud mensam

plenam

plenam rostrum hoc deliges, sicque vinclis constrictum cibarijs, vel captivum habe.

Cro. Introito iam nunc igitur, hospitem hanc nostram iube, vt benè lautam instruat hac nocte mensam nobis: Lydiamque meam invitet & occultè ad se traducat, sumptus faciat liberalitèr, meoque affigat omnia nomini.

Pog. Vel meo etiàm, si placet, nàm non multum interest.

Cro. Accelera.

Pog. Ego huc & illuc vortar, quo imperabis.

Actus I. Scena 2.

CROBOLVS. DROMDOTVS.

Enimverò Crob: magna moliris: scilicet vxorem ducere, parvulam vrbem hanc augere ciuibus vtilissimis liberis tuis: servulos & familiam alere: tùm etiàm gerere magistratum in repub. Primò cauponariam artem pro-

 fitebor:

fitebor: nam Lydia cibos condire nouit lautissimè. Ego accipiam conuivas humanissimè: efficiam vt ædes meas generosi frequentent. Filias si ferat mihi pulchellas Lydia mea (& feret semper necessariò, quod ego volo) istas elocabo callidè: vitam traducam omnibus lepidè lautitijs, esculentis, poculentis ventrem beabo meum: chartis pictis, globulis ludam assiduè, interdum (seueriorum bonâ pace vixerim) & aleâ: post hæc cùm cognita satis virtus nostra fuerit, multis petitis & adeptis honoribus, nunquam desistã donec mihi & hæredibus de corpore meo legitimè procreatis *Baronis* titulum aut *Comitis* comparauero. Sed quis hic, qui tàm odiosè iam interuenit mihi tàm iucunda meditanti? Quid ità cœlum, terram attonitus intuetur? Oh, noui hominem.

Dro. Zenith.

Cro. Riualis mei Ped: familiaris est Dromedotus philosophus.

Dro. Nadir.

Cro. Vel frater potius germanus.

Dro.

Dro. Horizon.

Cro. Nàm certè hos vtrosq; eadem dedit orbi Moria mater.

Dro. Vrsa maior.

Cro. Quos ego ambos hodiè dolis doctis meis docebo quanti sit sapere.

Dro. Κόσμος, μακρόκοσμος, τὸ πᾶν *Vniuersum.* Hoc omne, quod hic iam vndique nerui mei optici ope video (& video certè *intromittendo species, non extramittendo radios*) templum est summi *Iouis*, in quo tria veniunt potissimùm consideranda. Primò, corpus simplex, sphæricum, perpetuò mobile quod vocamus *Cælum*. Secundò, hoc centrum mundi, circa quod rotatur circumferentia globi stelliferi, dictum *Terra*. Tertium, subterraneũ quoddam concavum, in quo quasi in specu habitant isti Dæmones: quanquàm scio non posse probari ex Aristotele ullos esse diabolos. At occuritur, Aristotelem non vidisse verum in spiritualibus. Sed ego rem ipsam acu attingam hoc modo: Sunt *Antipodes*, Ergò dæmones

mones, nàm isti Diaboli etiàm vestigia figunt nobis contradictoria: Et sanè quicquid est habet sibi contrarium (nimirùm qualitatum respectu, non substantiæ, cui nihil contrariatur) siquidèm hic omnis sensibilis mundus regitur lite & amore. Hîc quoniàm mentionem fecimus amoris, dicenda etiàm pauca sunt de amore mei Pedantij. Nàm sicut elementares qualitates amore mediante commiscentur, ità vicissim ille & ego nos duo amicitia conglutinamur.

Cro. Sicut pus & pituita sunt eiusdem generis, sic tu & ille, vos duo, estis sodales.

Dro. Et sicut doleret aliquis, si equum suum vetulum ægrotare videret, eodem prorsus modo ego iam contristor, quòd amicum meum veterem audio amare. Nàm sicut ægrotatio efficiens est mortis in corpore, sic amor efficit quoddam quasi deliquium animæ rationalis. Sed sicut sapientis est ægrotanti caballo suo potionem dare: haud secus meum, est amico amatorijs

tormi-

torminibus torto consilij mei vngentum porrigere. Quia sicut cerebrum datum est à natura ad refrigerandum calorem cordis: similitèr nos cerebrosi philosophi viscerales istas imflammationes amicorum nostrorum, superfundendo liquorem sapientiæ, rarifacimus paulatim & debellamus. Sed sicut nihil iuvat habere pharmacum, nisi appliicetur ægroto, ità nec prodesse possum Pedantio, nisi fruatur ille consortio meo. Idcircò, sicut expansus iste aër, ad seruandam continuitatem rerum in concauitatibus locorũ, & ad destructionem vacui extenditur, & extenuatur cum elongatione essentiæ suæ: haud alitèr ego, vt à cerebro amici mei vacuum siue vacuitatem amatoriam impletione solidissimi mei consilij fugarem, huc iàm progressus sum, & tanquàm elongatus super hoc superficie trium miliarium, quo spatio continentur tria millia passuum geometricorum. Perge itaque, anima mea, (quæ principium motus es) corpus hoc organicum moue ocyus.

Cro. Ego verò possum corijs bubulis corpus tibi commouere iàm animalitèr satis & organicè.

Dro. Sed eccum percommodè quem percontari possem, heus adolescens, quæso nùnquid vidisti hic viciniam virum bonum, generosum, & in summo gradu literatum Magistrum Pedantium?

Cro. Ludimagistrum videlicet dicis: Generosum enim huius nominis noui neminem.

Dro. Sic est, vulgus hominum ex genere & nummis generosum deputat, non ex virtute & arte; cùm tamèn istæ primariæ sunt & essentiales, imò radicales & fundamentales effectrices veræ nobilitatis. Sed tu fortasse *sentis vt sapiens, loqueris autem vt vulgus.*

Cor. Ego vero loquor vt sentio; Nunc enim eò res redijt, vt qui declinationes Nominum, aut Accusatiui cum verbo congruentiam nôrunt, statim nobiles sibi sumant titulos; at ego nec Philosophos hos (qui de omni scibili

superbè

ſuperbè diſputant) Generoſos dicam, licèt ſe reges eſſe glorientur.

Dro. Homo videris macilenti & egeni ingenij; Dicito, vnquamnè legiſti Platonem? Beatam eſſe ille dicit remp. in quâ aut rex eſt philoſophus, aut philoſophus rex: Vbi videre poſſis, *Philoſophum & Regem eſſe voces conuertibiles.* Sed intellectus ille tuus, ſiuè mens, ratio, indoles, indocilis eſt, nec percipit iſta Doctrinalia: te collocamus ergò inter oues & boues, & pecora campi: & *Scientia non habet inimicum præter ignorantem.*

Cra. Quæſo, & quos habet amicos præter vos paucos literatos? Quis vel obolo æſtimat fanaticum, famelicum, fætulentum Philoſophum?

Dro. Sicut auriga equum flagello, ſic ego te ingenio meo percutiam. Vnico tecum agem argumento, *Socratico more.*

Quid cenſes? nonne veſtes tuæ viliores ſunt corpore tuo?

Cro. Sunt. Sed quid indè?

Dro. Nonne corpus tuum præstantius est vestibus?

Cro. Idem per idem.

Dro. Nonne animus dignior pars est hominis?

Cro. Quorsùm hæc?

Dro. Nonne bona animi meliora quàm externa?

Cro. Progredere.

Dro. Nonne, quod est melius, id est nobilius?

Cro. Do id tibi.

Dro. Et animi bona meliora quàm corporis?

Cro. Procul dubio.

Dro. Et qui animi possident bona, meliores ijs, qui externa?

Cro. Conclude.

Dro. Huc ergò demùm deventum est, Philosophos cœteris nobiliores.

Cro. Falsissimum.

Dro. Tibi nullus est sensus communis, negas conclusionem?

Cro. Tibi nullus est sensus proprius, concludis quod non probasti?

Dro.

Dro. Oh! opinaris fortaſſe nos philoſophos non præſtare cœteris quantùm ad animum? Probabo, ſi negaueris; Ego ſum paratus ad omnia.

Cro. Ego quidèm genus hoc hominum ſpeculativum peſſimum, ſordidum, ineptiſſimum, arrogantiſſimum existimo.

Dro. Iàm conuitiatorem agis, & es impudens.

Cro. Idem eſt ac ſi philoſophum dicas, cum conuitiatorem appellas.

Dro. Et ſi iraſci non poſſum, quià philoſophus, commoueor tamen.

Cro. Etiàm vel ſurere philoſophum, non eſt motus contra naturam.

Dro. Quantum bos maior eſt culice, tantum anteit philoſophus plebeium. Nos ad vos ſumus quaſi calidum in quarto gradu. Sed tu negabis fortaſsè nos ſcire plura, ſic vno abſurdo dato infinita ſequuntur.

Cro. Ergò qui vnum habet abſurdum, habet omnia abſurda.

Dro. Tu colligis ex abſurdo, quem

egó

ego iure absurditatem ipsam appello in Abstracto: Concreta enim puta absurdus, iniustus, indoctus, & talia contemnuntur hodie.

Cro. Tu verò & absurditate es absurdior.

Dro. Citiùs ego *Transcendens inter Prædicamenta* collocarem, quàm hoc insensile animal argumenta percipere facerem.

Cro. Tu qui generosus, qui nobilis, qui rex es, me, obsecro, ad cœnam voca.

Dró. Saturnus meus ventrem in tuum Vacuum mittat perpetuum.

Cro. Vacuum illud dicis philosophe, quòd cum nusquam esse disputas, in tuo tamèn est cerebro; cui si omnes similes sunt philosophi, sunt quidèm animalia omnium stolidissima.

Dro. Contra negantem principia non est disputandum.

Cro. Ah, mane obsecro, iàm denuò agnosco celsitudinem tuam.

Dro. Tu non es idoneus auditor moralis philosophiæ.

Cro.

Cro. Actor ego, non auditor ſum, vos ſemper auditis, nunquàm agitis. Sed quem ego conſpicor? Habe iàm tibi Pedantium tuum: nolo me videat.

Dro. Te verò imaginatio, ſiue phantaſia turbet melancholica perpetuò: qui vmbras rerum, non *identitates & hæcceitates* ipſas vides. Sed nunc iſte quid agat, pauliſper hîc obſeruabo.

Actus primi Scena Tertia.

PEDANTIVS. DROMIDOTTVS.

VIdeo (Patres conſcripti) in me omnium veſtrûm ora & oculos eſſe conuerſos: & credo ego vos mirari Iudices, quid ſit, quòd cùm tot ſummi oratores homineſque nobiliſſimi ſedeant, id eſt, non ament (ſic enim interdùm ſedere ſumitur, vndè ſedatio animi) ego potiſſimùm ad amandum ſurrexerim: quid ergo? audaciſſimus ego ex omnib9?

Si

Si quis hoc verbo dixerit, ſatis erit verbo negare. At officioſior in amoribus, quàm cœteri? Vtinam quidèm non eſſem iſtius laudis ità cupidus, vt alijs eam præreptam velim. Quæ res igitur me præter cœteros iſtuc demũ impulit? vnico verbo expediam—*Omnia vincit amor; & nos cedamus amori.* Amor tanquàm milvus rapax, me tuum (*ô Pallas*) pullum abripit iam nunc è ſapientiæ nido: Vnde ſicut *terra teritur pedibus* (indè enim dicitur), ſic animus meus conculcatur curis; Ego, ego inquã, qui Leonidæ mei olìm amoribus oppoſui me velut murum aheneum, nunc figor & perfodior ipſe ferro flammiſque concupiſcentiæ: qui diebus illis interroganti ter quid eſſet rerum omnium præſtantiſſimum, reſpondiſſem etiàm ter *Pronuntiatio*, *pron*: *pron*: idem nunc quærentj ſimilitèr dicerem *Lydia*, *Lyd*: *Lyd*: Sic, *Tempora mutantur*, *& nos mutamur in illis*. Quare, Pedanti, cùm id non poſſis, quod velis, quod eſt incumbere literis, velis id quod poſſis, quod eſt amare Lydiam. *Dro.*

Dro. Irrationalis animæ pars vicit iam rationalem, vnde verissimum esse constat axioma quoddam Logicum, maiorem esse vim in negatione, quàm in affirmatione. Sed quid cesso compellare hominem? Pedanti, *Opto tibi mentem sanam in corpore sano.*

Ped. Dromodote, *Sis bonus ô fœlixq; tuis*, sicut sapiens dixit poëta. Vt valent sodalis nostri Academici? numquid adhuc convenit inter vos & oppidanos? Cogitabam iàm dudum ipse vos invisere, & quosdam in Scholis Rhetoricis recitare Declamationes meas, quæ nempe, vt Demostheni, *lucernam olent.*

Dro. Mallem olerent lucernam, quam barbulæ tuæ vnguenta.

Ped. Composuj, congessi, consarcinauj tres plusquam *Philippicas*, aut *Catilinarias* contra barbaram gentem quid dixi? gentem? certè verò potiùs armentum Oppidanorum istorum hostium Musarum; qui tamen vivunt, imo in forum veniunt, idque non ad deponendam,

nendam, ſed confirmandam audaciam.

Dro. Hæc ſunt extra cauſam Pedanti: te rumor eſt amare.

Ped. Fama, malū quo non aliud velocius vllum. Fama, *comma,* (malum &c *parentheſis.*) Amare vero ridiculum: quod ego refutabo vel ſolâ hac fronte philoſophicâ.

Dro. Philoſophicâ? imò ſophiſticâ, cùm mihi tàm fallaciter & æquiuocè reſpondeas: Vidit me ideo veniſſe, vt ſtarem contra viam ſuam, et militarem adverſus quaſcunque concluſiones reſponſiuas eius, & iàm itaque non audet prodire ex antro diſſimulationis, ne forte boreali vento vocis meæ confundatur, & redigatur in minimum naturale dabile.

Ped. Eloquar, an ſileam? Sed cur in re momenti minimi Dilemmate vtor non neceſſariò? Auge, audi nunc iàm, Dromidote, tibi (cùm amicus ſit alter idem) rem omnem non minùs, quàm mihimet committam lubens. *Vror, habes animi nuncia verba mei.* Vt eſt apud Ouidium, qui

qui vixit temporibus Auguſti.

Dro. At ego adduxi iàm huc mecum in hoc ſcrinio cerebelli mei maximam maſſam materiæ refutatoriæ, ad attenuandam & frigefaciendam in te hanc enormem ebulitionem corporeæ cupiditatis. Non eſt Amor tuus (vt ſpero) malum immedicabile, quod dicit *Ariſtotles* de Avaritia.

Ped. Mihi nec verbis nec herbis potis prodeſſe, me iuvabit non medicus ſed *medica*, licet enim interdùm nouare verba.

Dro. Primò, quoniam (vt habetur in in *paruo Logicali*) inquirendum eſt quid ſit res, antequàm contra Amorem diſputo, quærendum eſt, Amor quid ſit.

Ped. Imò, *antequàm diſputamus, Diſputatio quid eſt?*

Dro. Secundò, incommoda, poſtremò, remedia narranda ſunt. De his tribus hoc tempore pauca audies.

Ped. Omninò hic neſcit rhetoricari. Ego dixiſſem iſta declamatoriè mirum

in

in modum, *Quæ tria (Iudices) cùm dixero, perorabo.*

Dro. Quod ad *Quid ſit* attinet, certum eſt nullam perfectam eius dari poſſe definitionem, propter paucitatem verarum differentiarum itaque deſcriptione contenti ſimus.

Ped. Sane vera Differentia eſt *Rara avis in terris, nigròque ſimillima cygno.*

Dro. Eſt igitur Amor communiſſimè ſumptus (definitore Platone) appetentia pulchritudinis cauſata per concupiſcentiam carnalem, volens fruitionem voliti. Iàm hanc deſcriptionem ſic *integràliter* à me poſitam analyticè reſoluamus in ſuas partes. Appetentia hîc ponitur loco generis: nàm quemadmodum apud phyſicos materia expetit formam, ſic apud homines, qui cõſiſtunt ex materiâ & formâ, mas materiatus cupit ex animo fœminam formoſam: pulchritndo autèm eſt excoloribus albi & rubicundi, iuxta temperationem proveniens, qualitas ſenſibilis, ſenſuj paſſione incutiens. Senſus ſunt quinq; *Guſtus, Olfactus*

Olfactus, Auditus, Visio, Tactus : pulchritudo visus est obiectũ : videmus autèm (quod diligenter animadvertas velim) oculis ; & oculi fascinati radijs formæ intromittunt speciem pulchritudinis in phantasiam : phantasia provocat desiderium, desiderium, tanquàm canis rabidus, lacerat mentem morsu amoris:ita pulchritudo, quæ erat ĩn vultu virginis, peruenit tandèm procedendo naturali quadam tendentiâ ad ipsum amatoris cor, (in quo est sedes animi secundum Arist:) & è converso ipsum cor viri transire cupit in corpus virginis.

Ped. Quid tibi cum *Transitionibus*, quæ quidem figuræ sunt Rhetoricæ ?

Dro. Istæ Transitiones physicæ agunt per modum illuminationis, & feruntur per radios rectos primò *archipodialitèr, deinde vicissim reflexiuè.*

Ped. Quæ dixisti hactenus (etsi non fuerunt optima) tamèn meliora quàm quæ deterrima. Ego elegantissimè definirem amorem ex Terentio: esse nimirùm

ium *ignem feminini generis.* Sic enim ille, *Accede ad ignem hanc.* Satin' hoc ex ſententiâ?

Dro. Ego vero retorqueo hoc Argumentum tuum ſic, Amor eſt ignis. Ergo cauendum eſt ab eo tanquàm a *Scorpione:* aut *Cane cœleſti,* qui in diebus Canicularibus calore ſuo nocivo plus mordet quam ullus *Canis latrabilis.*

Ped. Imo quemadmodum qui ſunt à Scorpijs icti, vel *Scorpionibus* (nàm huius nominis variæ ſunt declinationes) ſolent ab ijſdem remedium petere: ità ego amoris percuſſus cuſpide, amando me ſanabo. *Una eademque manus vulnus opemque feret.*

Dro. Itane? Attende igitùr iam incommoda amoris: quot ſunt in decem Predicamentis diuerſa Individua diuerſarum ſpecierũ; quot apud omnes *Thomiſtas* & Scotiſtas Oppoſitiones, Reſponſiones, Diſtinctiones; quot habuit vnquàm voces *primæ intentionis*, aut *ſecundæ intentionis* ſancta Antiquitas; quot in te & me verba Latina ſunt: tot

erunt

erunt tibi in amoribus miseriæ: Ad cuius rej evidentiam sic procedimus. Ratio, quæ est auriga animi, Affectionum calcibus conculcabitur, libidinis furor maior erit quàm raptus ipsius primi mobilis; tunc fœmina erit prædominans qualitas, quæ si fortè virago fuerit, (quod est penè vniuersale *& dicitur de omnibus*) tùm est tanquam torrida zona, & prorsus inhabitalis: videbis etiam sic tristari istos amatores, quasi iàm adesset *Dissolutio huius continui.* Ad hæc amatores isti negotia nulla curant, cùm tamen studium sit & nutritiva & augmentativa vis cerebri; Postremò, qui captus amore est, non solum est oculis captus, sed etiàm *respectu veri viuere*, in totum est mortuus.

Ped. Ego verò vt mortuus sim? Nunquàm id fatebor, *dum viuam*. Sic obijcio. Vides? Motus non conuenit mortuis.

Dro. Arguitur è contra sic, *Amator viuit in corpore Amatæ*, at vbi viuit ibi est eius anima; & vbi eius anima, ibi

operatur; & ſi operatur in alterius corpore, non operatur in ſuo; ſi non operatur in ſuo, non viuit in ſuo; ſi non viuit in ſuo, non eſt in ſuo; ſi non eſt in ſuo, corpus eſt mortuum. Tu es huiuſmodi. Ergo.

Ped. Agis mecum ſophiſticè in *Labyrintho*, in *Minotauri* ſpeluncâ. Ego pro *Ariadnes filo* vtor prudentiâ meâ, quâ extricante conſtantèr dico, *Ego ſcio me vivere.*

Dro. Non urgebo te: Revera eſt æquivocatio in nomine *Mortui*: Nàm non eſt mortuus extrinſecùs & ſecundùm animam vegetativam, vel ſenſitivam; ſed intrinſecùs ſecundum animam rationalem & intellectualem, quæ in ſe iàm non cogitat, quià de ſe non cogitat.

Ped. Non eſt dignum repetitione, nedum reſponſione noſtrâ quod obijcis.

Dro. Nunc antitodum miniſtrabo contra peſtem hanc. Primùm, ieiunandum eſt ſæpiùs, vt evacuatio ſiue evaporatio fiat humoris ſenſitivi ſuperflui; tùm

tùm piſcibus veſcaris potiùs quàm carnibus, quæ generat ſanguinem calidum & concupiſcibilem; vino abſtineas & ſaccaro, in quibus ineſt venereum provocamentum; tum otia vites, ſiquidèm negotia condenſant hanc cerebri fluiditatem, quæ gignit ex ſe turpiſſimum id excrementum voluptatis.

Ped. Ego cum *Scipione* nunquàm minùs otioſus, quàm cùm otioſus.

Dro. Proximum eſt, ut cantus meretricios caueas, & omnem illam ſyllabicam compoſitionem Poëtarum, qui nimis articulatè de his loquuntur.

Ped. Hos optimè *Plato* eiecit à ſuâ repub.

Dro. Deinde conſortium fugias iſtarum aulicarum, quæ valdè agunt in hæc inferiora corpora: Præter hæc, potio aliqua purgatiua ſumenda eſt, quâ complectionem iſtam immutes tuam. Nàm vos cholerici propter ignei humoris copiam feroces ruitis, cùm nos melancholici (præterquàm quod ingenioſiores ſumus, teſte Ariſtotele in

blematis) tum quoq; ob terrei sanguinis pigritiam multò sumus ad hosce brutales motus minùs proni. Hæc quæ præscripsi si nequicquàm prosint, veniendum est ad illud vltimum; nôsti, quid sibi fecerit *Xenocrates* Platonicus.

Ped. Dabis iàm mihi vicissitudinem loquendi: *Socrates* (qui hoc solùm *Se scire dixit quod nihil sciret*, ideoque est Apollinis oraculo sapientissimus judicatus) in quodam dialogo *Platonis* (qui est Homerus Philosophorum) Amorem omnem distinguit (qui autèm non distinguit, destruit artem) vnum dicit esse sordidum, qui nebulonum est, alterum honestũ (in quo fateor me non mediocriter esse versatum.) Sed & plurimi doctissimi homines amatores fuerunt illo primo modo. Nàm, ut nihil dicam de *Ouidio*, vt taceam *Salustium*, vt prætercam *Aristippum*; quid attinet dicere de *Demosthene*? silebo etiàm *Ciceronem* ipsum, per *Aposiopesin*, qui Catachresticè & parum castè amabat, vt nonnullis placet: *sed mentiuntur quicunque.*

quicunque. Quid commemorem *Aristotelem* vestrum, qui caballus factus est, & equitantem tulit meretricem? Ego cum istis omni exceptione maioribus errare malui, quàm tecum vera sentire. Sed non opus est istos allegare, ego quippè uxorem non *Thaïdem*, ambio: sic enim apud optimos authores Thais, (quæ famosissima meretrix erat) absolutè ponitur pro quavis meretrice.

Actus primi: Scena Quarta.

POGGLOSTVS. DROMODOTVS. PEDANTIVS.

P. EXire me voluit Herus meus (quantum memini) duas ob causas, vt istos aliquâ ludificer arte meâ, ac vt quendam post convenirem in foro *Tyrophagum.*

Dro. Hèm quis est?

Pog. Dij vos fortunent, Generosi.

Ped. Et tibi crus sanent tuum, mendice claudipes.

Pog. Misereat vos mei, pauperis & bopi, miserandi semi-hominis.

Ped. Credo nos literatos magis infestari mendicis, quàm cœteros homines, qui quoniàm miserias mortalium novimus, misericordes sumus; & quià misericordes, omnes ad nos miseri supplices confluunt.

Dro. Tu otiosus es, & cupis isto modo vagari; abi, & labora. Vides *planetas operari perpetuò, & cœli motus est perennis.*

Ped. Cur non manuariam aliquam artem calles? siuè mœchanicam, id est, adulterinam, *à mœchando*: sunt enìm cœteræ artes adulterinæ, respectu nostrarum liberalium.

Pog. Oh, venerabilis Domine, nunquam istarum ullam didici; Domine verè Reuerende, fui quondàm semidoctus, & è nouem musis colebam nonnullas. Sed oblivio iam extinxit.

Dro.

Dro. Doctrina, tua non erat habitus confirmatus, sed dispositio tantùm, aut remota potentia: Nam si profundè, non persunctoriè didicisses, tum si tàm diu viueres quàm corvus aut quercus, habitum tuum Doctrinalem priuatio nulla unquàm corrumperet.

Ped. Tu artes fortassè primoribus (quod aiunt) labris attigisti, non in succum & sanguinem convertisti (quod docti solemus.)

Pog. Quæso, doctissimi Musarum sacerdotes, inopem & egenum iuuate benignitate vestrâ.

Dro. Imò operam arti des denuò: sic veras possidebis & immortales divitias; nos, qui (vt tu olim) scholasticam vitam sequimur, sumus quasi *formæ separatæ*, non curantes hæc bona sublunaria.

Ped. Nos omnia habemus, nec quicquā habemus, id est animos tranquillos, nummos nullos; nil enim est, nil deest tamen; pecunias cùm non habemus, non desideramus: quare adolescens operā &

oleum perdis; ne expectes vel micam unam à nobis, qui locutionibus, non loculis sumus locupletes : & tamen *locuples* dicitur à *plenis loculis* (quod iste non novit.)

Pog. Vt maneam qualis hactenus fui, vir innocuus, quæso aliquid detis.

Ped. Dabo, nempè consilium fidele, esto *Integer vitæ, scelerisque purus*; Nàm non oportet ullo in officio *claudicare.*

Pog. Illudi me sentio: vultis gladium istum, quàm sit acutus, experiri? Equidèm, viri optimi, si vellem iàm latronem agere, possem vobis vel invitis eripere : sed spero daturos.

Dro. Imò profectò idque actutùm: ecce tibi quiddam *non quantum*, vnde tamèn hodiernam possis cœnam procreare.

Ped. Cùm tibi video indolem inesse & acumen, tibi vt prosim opto, ut facultas par esset voluntati, nunc accipe hoc aliquid quicquid est (etsi hoc aliquid nihil sit,) læta fronte, vt pignus amoris ergà te mei.

Pog. Aliquid etiàm (nisi molestus essem) in crastinum vt detis, postularem.

Dro. Vtinàm aliquid tibi dare possem non in crastinum solum, sed & in sempiternum, idque trifariam: in *æviternum*, nempe, æternum *à parte post*, in coæternum, nempe *à parte ante*.

Pog. Hoc telum petet vos *à parte ante, & post*.

Dro. In-Interim hoc quæso cape.

Ped. Et hoc etiam: Nam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, subleuare calamitosos, dare salutem, *Oratoris proprium est*.

Pog. Ignoscite, si a vobis summis Magistris ego *Incipiens in hac arte* petam audacius: caligas mihi libenter nouas emerem, & libros aliaq; necessaria, vos si hunc sumptum feceritis, Mæcenates eritis mihi.

Ped. Vt cognoscas te mihi charum esse, scias non solere me cuiquam tàm prodige largiri, nàm non omnibus

dormio

dormio, Sed lucrum est si quid tibi benefacio: tene.

Dro. Nos a stellis & cœlo quotidiè influentias accipimus, ergò quò magis liberales, eò magis similes cœlesti *quintæ essentiæ.*

Pog. Vnum quiddam restat, in quo exorandi mihi estis: vt etiàm crumenam detis, in quâ nummos reponam istos.

Ped. O inexplebilem avaritiam! O gurgitem! O *Charybdim*! (siue Charybdin!)

Pog. Nisi hilari vultu dederitis, ego non accipiam.

Ped. Perij, me aspexit, vale, vale crumena mea, valetudinem tuam cura diligentèr, iterùm atque iterùm vale: dono quidèm promptissimè, unum id doleo, quod video te virum tàm honestum egere pecunijs nostris, habebis statìm, postquàm farcimentj reliquum extraxero.

Pog. Non multùm refert, si tradas *cum appertinentibus* etiàm.

Ped. Quoniàm ita vis, trado. Dij hunc

hunc cum omnibus pertinentibus eradicent.

Pog. Hanc ego (cum tàm ornata ſit) in dies feſtos reſervabo. Tu fortaſſè habes quam quotidiè terere poſſum.

Dro. At obſecro iàm te ne velis *potentiam hanc in actum producere*, præſertìm cùm à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Nàm in hoc pauxillulo (mihi crede) quod reſtat nummulj eſſentia ipſa & exiſtentia mea conſiſtit.

Pog. Quæſo, ſine te exorem, vir doctiſſime, Obteſtor te per *acumen* ingenij tui, & enſis mei.

Dro. Oh ſat eſt: exorâſti ſatis, habe tibi.

Pog. Munificentiſſimi viri, dediſtis hæc mihi, annon?

Ped. Etiàm planè, maximè, admodùm; & tu accepiſti, annon?

Pog. Sed mutuò, annon? Valete.

Ped. Mutuum, quaſi *meum-tuum*. Sed illud nuper *meum* iam fit *tuum* ſine *mutuatione*, aut *mutatione*. Proh Scelus!

Dro.

Dro. Abj, rue, redi in primam materiam, claudum monſtrum, nunquam intentum à natura univerſali, defectus & error naturæ particularis. Peri tu omnium infra ſphæram Lunæ exiſtentium perditiſſime, qui contemplativos ſpolias. Vtinam *grave tuū de crucefer atur deorſùm*, aiit *in ipſò hoc nunc* exareſcat tibi humidum radicale. Quàm ego tremui totus, ne enſe ſuo *penetraret dimenſionem meam*? Vtinàm ego hodiè potius [cum centum ſimul capitoſis ſophiſtis diſputâſſem in ſcholis publicis noſtris, modo vnius huius *ſtrangulatorium argumentum* evitaſſem.

Ped. Quoniàm mortale tuum pectus coëgit auri mei ſacra fames (*Sacra* per antitheſin, vel *Sacrum* eſt quod *Dijs inferis devotum*) opto, vt quicquid tetigeris, aurum ſtatim fiat. Hoc tu fortaſſè præclarum putares, ſed eveniret tùm tibi, quod *Midæ* (cujus etiàm obitèr vtinàm auriculas haberes) *Qui fame peribat, quòd auro veſci nequibat.* Sed video jam campum in quo exultare

possit oratio: te Mercurialem (non quoad linguam, sed quoad manus) vexent saxum sitisque Tantali, Ixionis rota vaga vagum torqueat, Charon remiger Orci Phlegetontis in undas deferat, qui falcem tuam meam in messem immisisti. Mihi tamen non eripuisti divinam animi constantiam, pessime, non scientiam, non prudentiam, non virtutem ullam denique. Quod de *Attilio Regulo* dictum diuinitùs.

Dro. At mihi eripuit liberalitatis, etsi non habitum ipsum, tamèn *actum & instrumenta.* Nàm evacuatus sum ego (quod est contra omnem medicinam) *radicalitèr.*

Ped. Eamus intrò nè hic fortasse denuò nos invadat.

Actus secundus: Scena Prima.

CROBOLVS. TVSCIDILLA.

Quid censes, mea Tuscidilla, nonnè conditum suavitèr hoc convivium dedimus?

dedimus? vna cum escâ hamum vorauit, jamquè mea est Lydia; Tu cibos dulces, ego blanda verba dedi.

Tus. Vide, ne mihi verba des obsecro; ne dicas me cibos dedisse: Non sat habes, quod amoris te vias omnes doceo; quin ut te, tuamque alam postules? næ unum (Dœmones meos testor) obolum à me sumes unquàm, nisi mutuò, idque sub fœnore: repone mihi (priusquàm ulteriùs progrediare) in hoc concavũ palmæ meæ, quas jàm debes pro comeatu, minas binas: Habebis à me sempèr *locum & jocum*: sed audin'? *potum & focum* suppeditabis ipse, si placet. Dicis mihi nugas, *Optima Tuscidilla*, &, *Memoriâ te colam sempiternâ*; Sed ego non video nummos.

Cro. Ne tantillum unquam (honestissima hospes) tibi orietur à me damni, cognita nostra fides toto foro est, mihi verò mille sunt modi pecunias corradendi. Nàm, vt omittam illam præclarissimam *rapiendi* artem (quæ

domina

domina eſt & regina reliquarum omnium) ego legalem iſtam monetam (ſi deſit) cudere quidem ipſe poſſum : quin alias etiàm plurimas fraudulentas artes teneo ad vnguem: *Alchemia* mea homines plūbeos in uſum meum aureos efficit ; *Magia* promittendo aureos montes, infert in crumenam noſtram argenteos nummos : Vrinariam artem practicando etiàm aliquid poſſum emungere : in quâ nihil requiritur, niſi *lotio & potio.* Sed quid ais ad hanc paraſiticam noſtram Adulationis artem ? quæ eſt ars artium & ſcientia ſcientiarum, quâ iuvenes generoſos (vt mures, aut muſcas) capimus, hos ego meâ irritatos amicitiâ devoro prorſus & abſorbeo , cibus hi mihi & potus ſunt, è quibus etiàm (tanquàm è cellis promptuarijs depromo quod lubet?

Tuſ. Promas igitur tandèm quo ſolvas, quod promittis tàm ſæpè.

Cro. Cedo mihi ergò jam adoleſcentulum eiuſmodi , eum tractabo eruditiſſimè , primò laudibus in cœlum efferam,

efferã, ac Iouem alterũ efficiam, ex quo tantum mei ardebit amore, vt ſicut *Iupiter* olìm *Danäæ in gremium*, ſic ille meas in manus imbrem aureum immittat, tùm prodigalitatis eum omnes partes docebo, quomodò epulas luxuriantes paret, ſpectacula magnifica exhibeat, voluptates quaſque aucupetur, famulos famelicos expleat muneribus, me verò Dominum ſuum efficiat: hîc ſi nummi fortè deficiant, parabo ſodalem aliquem mihi à conſilijs, qui fundos eius omnes hæreditarios emat pretio perexiguo, ſic ego & cum illo fundi, & cum iſto pecuniarum particeps ero.

Tuſ. Novi ſatis fraudulentum eſſe te carnificem, itàque urgeo tàm ut ſatisfacias; hoc enim præcavere mihi me movet.

Cro. At nimiùm meticuloſa es, viros ſolùm, non fœminas fraudare ſoleo, huic ſiquidèm ſexui fidus ſum non tantùm in ſpeciem, ſed *intus, & in cute*. Atque nunc tibi vt reddam quod reſtat, aliâ iàm id aggreſſus ſum viâ. Noſti hunc

hunc futilem Pædagogum meum rivalem benè nummosum esse: istum statui astutijs omnibus ad vsus quosque meos penitus corrodere: sic & ille ad amores hosce prosequendos debilior fiet, & ego inimici me sanguine saginabo. Inceptum est, spero, haud incommodè, Exitus acta probabit. Sed quis hic strepitus? tu domum revertere, ego Pogglostum consequar, ut Tyrophagum agenda cuncta doceam.

Actus secundus: Scena Secunda.

PEDANTIVS. DROMODOTVS.
LVDIO. BLETVS.

P. ADeste satellites, & stipatores, circumcingite, circumvallate Regem vestrum, *sceptrum meum* non metuite, sed defendite. Tibi, Blete, quanquàm ingenio haud nimis polles, tamèn

tamèn vim natura non negavit : Tu autèm astes huic Ludio, tanquàm *Teucer sub Ajacis clypeo*. Nunc si in hoc ardore iracundiæ meæ illum uspiam Catilinarium latronem hîc aspicerem, ut ego oratoriè inveherem in illum *verberibus*?

Dro. Quòd si illud *individuum vagum* mihi jàm demonstrativum esset, eum ego istoc Academico telo vel ad centrum usque terræ deijcerem, & vltrà si fieri posset. Sed non potest, nàm si fortè præteriret ipsum medium, tamen remearet ad centrum rursus motu quodam naturali *reverberativo*.

Ped. Ausus es improbe, gigantum more, *bellare cum Dijs*? Non possumus spiritus tuos *debellare superbos*?

Lud. Præceptor colendissime, idemque dignissime totius nostri exercitus Imperator, tuo sempèr sub vexillo lubens militabo: ità es in pace prudens, & in scholâ doctus, & in bello fortis, & in acie formidabilis, vel formidandus.

Ped. Audin' tu hunc puerulum, quàm

quàm appositè quoad sensum, & figuratè quoad phrasem eloquatur? Mehercule amo hunc, ità me imitatur sedulò. Hic hic est puer aureus, albæ gallinæ filius, hunc hæredem scribam omnium librorum meorum, præter *Lexicon Nizolij*, quod mecum iam dormit, quod mecum sepelirj volo.

Sed tu quæso, qui physiognomon es, de pullis his meis profer iudicium tuum, velut *Zopyrus* de *Socrate*, vt narrat *Cicero* meus.

Dro. Quemadmodum (vt habetur in libello Prædicamentorum) quædam insunt in, & non dicuntur de, alia dicuntur de, & non insunt in: alia & insunt in, & dicuntur de: alia nec insunt in, nec dicuntur de: ità in aliquibus inest ingenium, & non apparet; in alijs apparet esse, & non est; in alijs nec est, nec apparet; in quibusdam (qui fœlici sydere nati sunt) & est, & apparet. Talis hic Ludio puer tuus.

Ble. Quid hic stamus tanquàm asini otiosi? num huc convenimus ad abigendas

das muſcas? aut hoſtis veniat aut nos abeamus: Audivit fortaſſè furcifer me hîc adeſſe, qui ſum in omnibus nocturnis vigilijs truculentiſſimus contra latrones iſtos.

Ped. Agite, quoniàm ſcopulos prætervecti periculorum, eſſe iàm in vado videmur tranquillitatis, reportate iàm domum denuò hæc Achillea arma noſtra; & ſi ego vel *ſt*, vel, *hem* inclamavero, accurrite rurſus pugnaturi tanquàm pro aris & focis.

Lud. Iupiter opt: max: arceat, coerceat inimicos tuos.

Ped. Auſculta, obſecro, lepidas pueri elegantias; progredere.

Lud. Iupiter, inquam, iuvet te, Minerva minuat hoſtes quoſcunque, Pallas ad pallorem terreat, Mars & Mors perſundent. *Tantarra, Bownce.*

Ped. Euge, nihil ſuprà; id eſt, i pede fauſto. *In hoc plures inſunt Pedantij.*

Lud. Niſi interdum blandulis iſtum delinirem verbis, nunquàm abſtineret a verberibus; nàm vtcunque fuſtim igna-

ignaviter, virgam certè vibrat viriliter valde.

Ped. Ludite.

Lud. Blet. Gratias. Quod si vltra tres plagas sæviat, conquerar matri. Illa jubebit patrem meum: tum pater eum in jus vocabit coram Iudice, qui flagellabit crumenam Præceptoris vsque ad sanguinem.

Blet. Eamus, inquam, valete.

Ped. Nunc si te attentum, benevolum & docilē præbebis (quæ tria necessariò requiruntur in Auditore) exponam tibi cum universim omnes, tum sigillatim singulas (quas cælavi te hactenus) causas amoris nostri.

Dro. Scio ignorationem causarum Matrem esse erroris; Sed vide ne ponas *non causam pro causâ*, & apparens bonum pro vero bono; nàm sicut *stella cadens* (licet sit cadens) tamèn non est stella; sic bonū apparens (etsi apparens) tamèn non est bonum: præambulis istis suppositis, incipe fœliciter.

Ped. Primum illud cognitum & perspectum

perſpectum habeas, me non titillantem illam & laſcivientem carnis libidinem, ſed ſolam & meram honeſtatem ſequi: Hæc pauca præmiſſa ſint, vt occuratur cuidam tacitæ obiectioni.

Dro. Hic proceſſus eſt methodicus & Ariſtotelicus: qui in Phyſicis primò, quæ non ſint principia, & in Ethicis quid non ſit fœlicitas, oſtendit, antequàm quid ſit. Poſito nunc ergò non *cauſativo* Amoris tui, ordo poſtulat, ut verum ejus *operativum* dicas; certe cupiditate ſublatâ, tollitur omne originale Amoris: nàm niſi ſupponatur aliqua appetibilitas, nulla relinquitur poſſibilitas Vnionis cum objecto, hoc vult Philoſophia.

Ped. Laudes, quas mihi tribuis, in optimā partē interpretor. Quod ad alia attinet, quæ dixiſti, ſic habeto; non odiſſe me mulieres, quippè qui ſciam eſſe earum nobis mortalibus uſum aliquem neceſſarium. Amo igitur fateor; non ſum enim è ſilice natus, aut tygride. Sicut apud Virgilium Ænæas iudicio

iratæ

iratæ *Didonis*, vel potius *Didûs*, ſecundum Græcam declinationem: *Sappho Sapphûs*, per ûs circumflexum. Non autem Amo ſecundum redundantiam juvenilem, aut in ſummo genere; ſed (ſi quid ego judicare poſſum) *Philoſophicè*. Rationes autèm, quibus moveor, ſunt quinque, vel potius ſex.

Dro. Non refert de numero; vide vt ſint irrefragabiles. Sed *Pythagoricū* hoc eſt, religioſè & myſticè numeros conſiderare; quorum quidam duodecim cauſas (tanquam duodecim ſigna Zodiaci) æſtimant.

Ped. Primò, ſcias velle me fœlicem eſſe perfectè, quod ommino non fit, abſque hoc additamento vel *Corollario* vxoris.

Dro. Quaſi verò virtus ſola per ſe non ſufficiens ſit ad beatitudinem. At vxor *non eſt virtus ad minimū*, fortaſſè etiàm vitium: Fœmina eſt naturæ error ſiue debilitas. Quia Natura ſemper intendit quod eſt perfectum & optimum. At mas eſt præſtantior. Ergo.

Ped. Secundò, decrevi ædes mihi comparare de proprio, in quibus mater-familias aliqua non minùs necessaria est, quàm campana in templo, aut lignum in foco.

Dro. Reverà si Oeconomiam spectemus rei familiaris, vxor *causa est adiuvans* aliqualitèr. Et familia est civitatis principium *ex quo.* Vt demonstrat Philosophus Primo Politicorum. Iam, Pedanti, factus es politicus.

Ped. Factus? Imo natus: quem natura ipsa finxit oratorē. *Bonus* autem *orator est ciuitatis oraculum:* teste Oratorum oraculo Cicerone nostro. Sed pergam in cursu instituto. Si ægrotarem aliquandò, vxor est medicinale quiddam; præsertìm in febri, vbi sitis regnat.

Dro. Pestilentissima hæc febris est, quæ fœminam sitit.

Ped. Quartò, nobis studiosis vxor medicamen est contra melancholiam & phrenesim, quæ nobis imminet contemplationi deditis.

Dro. Etiam vt cōtra plethoram sanguinis

guinis interdùm, si sæviat. Sed hæc est impropria prædicatio, si inferius sic prædicaretur de suo superiori.

Ped. Quintò, nisi fierem maritus, garrirent plebeij homines Pedantium esse Eunuchum. Vah! quod est falsissimum. Vah!

Dro. Hæc ratio non est coactiva. Nam multi philosophi, qui non erant maritati, fecerunt tamen opus naturalissimum, id est, generarunt sibi simile; quod Eununchis non competit, certè *per se*: Sed bene fortè *per aliũ*. Causa patet: nempe propter defectum causæ instrumentalis. Ergo non sequitur a non vxorato ad Eunuchum.

Ped. Sextò, quid est per deos immortales (non possum enim me continere, quin exclamẽ) haud ad utilitatẽ Reipub. commodius; aut ad voluptatem bonorum omnium jucundius, aut ad gloriam nominis nostri splendidius, quàm relinquere seculis venturis veram & vivam imaginem Pedantij? hæredem virtutum mearum, & istius prolem patris? Deniq;

quid Oratorj magis necessarium, quàm linguâ promptum esse, quæ nobis est prora & puppis? Conjugatus vero binas in promptu habet linguas: Vnde & *bilinguus* iure optimo possit appellarj. Addam etiàm brevem Epilogum, in quo erunt tria hæc, *repetitio, petitio, pathos.* Quarè si vel emolumenta nostra, vel reipublicæ salutem respicias, valedicas huic opinioni tuæ. Ego quidem, quod ad me attinet, sic statuo: verè enim mihi videor esse dicturus, Hymenæus meus Deus; vel magis emblematicè; *Aut vxor, aut vexor.*

Dro. Aethiopem lavo, hic capere non potest influentiam consilij mei, & amore pungitur, tanquàm *caudâ Draconis.* Vnicum hoc iàm restat, vt cùm impressio tàm profundè facta sit amoris in te, (vt omnes partes & similares & dissimilares laborent ex eo) si non possis prorsus & simplicitèr, saltèm ut attenuatè convertaris tamèn: scilicet *signa minora cape;* si non secundum quantitatem, at secundum aliquam *ex-*

ternam

ternā apparentiam; nè vulgus id videat.

Ped. Prudentiam vt ſumam ſi ſuades, ea eſt in animo meo, quaſi ſanguis in corpore: *Apollo*, *Pallas*, & *Mercurius* mihi ſunt individui comites, quibus cerebrum meum cœlum eſt; quarè non poſſum non prudens eſſe.

Dro. Cautè, cautè, pro honore Vniverſitatis.

Ped. Imò & caſtè etiam. Quid ni? Nihil enim unquàm admittam ego indignum Oratore aut Philoſopho: Sed viden' tu ædes illaſce? ibi habitat, quæ in me habitat, quarum parietes ſunt me multò beatiores, ſiquidêm hi uſq; quaque Lydiam complectuntur meam, quæ fugit protervè me, ſicut Apollinem Daphne olim.

Dro. Et tu ſic irrationalis es, ut ames, quæ odit te?

Ped. O plumbeum pugionem! quaſi non dixerim Apollinem idem feciſſe, quem ego præpoſui mihi in omnibus imitandum.

Dro. Sic igitur diſtinguo, idque ex

ſententiâ Philoſophi, Contrarium expetit ſuum contrarium, verum eſt, idque non contingentèr; ſed catholicè. At addendum eſt tamèn, non quatenùs contrarium, ſed *Medij gratia*; nempè ut ad medium perveniatur. Vt docet Ariſtoteles in Ethicis.

Ped. Vtinàm, vt Lynceus olim, ſic ego nunc parietes iſtos poſſem oculis penetrare, Lydiam meam quo cernerem, quid agat; Sed ô fors fortuna! mihi deſcendendũ eſt in ſolem & pulverem.

Dro. Iàm declinandum eſt extrà Zodiacum rationis. Ego abeo.

Ped. Nequaquàm: ſpectator eris mearum pugnarum, dùm ego hanc adorior vel adoro potius.

Actus ſecundus. Scena Tertia.

LYDIA. PEDANTIVS DROMODOTVS.

L. Poſtquàm intus curata ſint omnia, vt oportuit, libet iàm paulisper de mearum ſucceſſu rerum cogitare.

Ped. Sic igitur aggredior *bonis* quòd aiunt *avibus*. Etsi delector multùm suavitate sermonis tui, (Nàm non vox hominem sonat: O dea certè) tamèn cogor hîc propter angustias temporis reliquum amputare cursum orationis tuæ.

Lyd. Factum, ô fortuna, nequitèr, quod istum obiecisti jàm tàm ineptum, tàm importunum mihi.

Ped. In tempore venis, quod omnium rerum est primum: Adesdùm, paucis te volo.

Lyd. Etsi nequicquam placeat, tamèn cùm inhumanam esse haud deceat; audiam quæ loquatur..

Ped. Cogitanti mihi sæpenumerò, & memoria vetera repetenti, perbeati (Lydia virgo) videri solent, qui & amare & amari fœlicitèr unquàm potuerunt, ità vt simul uno eodémque puncto temporis & amantes & amati *esse posse videantur*. Nàm (vt Peripatetici perhibent) Amor omnis mutuus esse debet, & reciprocus. Quapropter ut à thesi

ad hypothesin veniamus, ô fœlix anima mea, flosque fœminarum! te per tuam pulchritudinem (quâ nihil unquàm vidit sol splendidius) oro, obtestorque; ut quoniàm Amor hos regit artus meos, idem etiàm tuum in sinum influat ad arctam magis copulationem nostrûm, (*vel nostrj*) sic vt & tu in pectore meo, & ego in corpusculo tuo tabernaculum vitæ collocemus.

Lyd. Aliam reperias quæso, quam illudas; ego id agam sedulò sempèr, vt honesta sim, utcunque tibi videor.

Dro. Virgo (videtur enim nobis quod sic) fortassè non vides ad imum & fundum eorum, quæ dicta sunt; eadem ego dicam planiùs: primò, generalitèr; post, specialitèr. Generalitèr sic; omnis homo (intellige autèm non hunc aut illum, sed ipsam *speciem & universalitatem*) est animal sociabile & congregabile naturâ: hoc tene. Iàm specialitèr: unusquisque desiderans, optat ipsi desideratæ omnem suam quasi *naturalitatem*, & *idipsum quid hominis* com-

communicare. Nunc ad applicationem venio: Ergò hic amicus meus cupit vt ſit inter vos non ſolùm ſociabilitas iſta, & confuſa notio, ſed etiàm proximior relatio quædam ad-invicem,(quæ tùm efficitur, cùm eſſentia unius dependet ex altero,) ita ut vos duo fiatis relata, non tantum *ſecundum dici*, ſed & *ſecundum eſſe.* Ad hæc tibi etiam approximari deſiderat non modò per *contactum virtualem*, ſed & *localem.* Præterea coniungi & coadunarj in unum non *contiguum*, ſed *continuum.* Vltimo, petit ut ex duobus numero differentibus fiat unum *Individuum*, idque indiſſolubilitèr combinatum.

Ped. Quod ſi pectus meum feneſtratum eſſet (quod Momus in homine exoptavit) cerneres tùm, cerneres (inquam) *fixam, haud fictam* fidem, quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles Amores excitaret ſui, vt ait Plato, ſive quis alius.

Dro. Quià nolo te hallucinari circa hunc amorem, quaſi profectum ab in-

tentione vanâ ex parte amici mej, cognoſcas nihil eum à te petere, vel contra vel præter honeſtatem: quod ſic arguitur ex ſufficienti diviſione: Tu duplex es, & conſtans ex duabus partibus, corpore & animâ, ac corpus quidèm (quod negari non poteſt,) eſt amabiliſſimum. (Nàm hæc ſuperficies *dealbata* candoris tui valdè *diſgregat viſum* noſtrum) ſed tamèn animam (quæ eſt pars ſimpliciſſima) ſimplicitèr & *propter ſe* amat, corpus per *accidens*, & animæ gratiâ.

Ped. Anima tua omnes omnium amores in ſe complectitur, pro quâ emori nemo unquàm bonus dubitabit.

Lyd. Præſtaret domum reverti me, quàm hic irrideri facetijs.

Ped. Facetum eſſe me non eo inficicias, ſed nunc tamèn poſtquàm Amor hic ariete ſuo murum mentis meæ percuſſerit, agitur ſeriò (ſereniſſima Lydia) vis vt tibi lachrymis, & ſingultu cōvulſiones meas teſtificer? Ah virgo venefica & incantatrix animi mej! diſtrahor, divellor, id eſt, *in duas vellor partes*,

quarum

quarum vna eſt in conclavi corporis tui, altera repetit partem perditam, quam tu poſſides.

Nàm quandò primùm illam tuam faſcinantem faciem aſpexi, ſtatim mens mea neſcio quò correpta, impulſa, abrepta, afflata furore amatorio abijt, exit, evaſit, erupit è perturbato hoc domicilio, ad oras oris tui appulit, vbi formam divinam & certè veram *Idæam Platonicam* contemplatur. Sola tu potes ab iſtâ me extaſi liberare, ſi paſſura ſis corpus me meum, quod hîc eſt, conjungi rurſus animæ meæ, quæ illic eſt.

Lyd. Quin potiùs auferas animam hinc denuò.

Ped. At tu *me tenes ut viſcus, & interficis vt Baſiliſcus.*

Dro. Sicut ferrum amovere ſe a magnete non poteſt, ità iſtius anima (quam rapuit ad ſe *attractiva vis* vultus tui) recedere iàm non valet rurſus *gradu retrogrado.* Amor in iſto non *accidentalitèr* ſed *eſſentialitèr* ineſt, vt evelli-

evelli salvo interim subiecto nequaquã possit. Quare non debes te opponere huic tàm ità *diametralitèr* (& tanquàm in *lineâ Eclipticâ*) negando quod rogat.

Ped. Intuere obsecro cum commiseratione quadam evisceratum hoc & exangue corpus Pedantij tui, cujus cor tot patitur dolores, quot sunt in campo flores; Splen (quod ridere facit) jàm lamentabile sonat; Iecur pusillulum corradit & corrodit *aquila Promethej*, seu Amor; intestina cupiditatibus (quasi furiarũ tædis ardentibus) incẽduntur, vẽtriculus (sive superiorẽ, sive inferiorẽ spectes) *Æstuat ut clausis rabidus fornacibus ignis.* Sic vndiq; Amor tuj astat, & instat tanquàm *Hannibal ad portas*, ut jàm nullum sit perfugium, nisi tu des refugium: te peto ut portum, ut aram, ut Asylum, denique, ut *patronam*: si deseris tu, perimus.

Dro. Vides jam hunc te inexplicabilitèr amare, & toto jecore, vel (ut vulgus dicit) toto corde; sed abusivè, nàm *Cogit amare jecur.* Quarè osten-

das

das te viciſſim huic eſſe *correlativum*, *cordis* enìm *relatio* debet eſſe : & qui tanguntur vero Amore, debent *ratione differre, non autèm re*; tractabilem virgini convenit eſſe primò & principalitèr. Deindè doctus hic eſt, & Magiſtralitèr facundus. Nam ſicut in ſeptentrione vrſæ ſeptem ſunt ſtellæ, ſic in iſtius capite ſeptẽ ſunt ſcientiæ, quarũ harmonia æque eſt muſica, ac melodia ipſa ſeptem planetarũ, ſecundũ *Pythagoram*.

Lyd. Fruſtrà laboratis, meos enìm amores jam ante alter poſſidet.

Ped. Proh deûm atque hominum fidem! *Ante rates cauſam? & mecum confertur Crobolus*, putridæ carnis animal, terræ filius, infœlix reipub: lolium, Cui vix dignus eſt in ſentinâ locus; quem ego docebo, quid ſit irruere in alienas poſſeſſiones. Tu interìm dum eripis animam iſto modo mihi, & furti, & ſacrilegij (nàm mens mea res divina eſt) & homicidij rea es.

Sanè quod olim dixit iratus Achillès:

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris.

Dro. Quid? tuum hoc corpus æthercum vt illud lutum terrenum attingat? Abſurdum: quin potius ſicut ex bovillo cadavere computreſcente prodeunt vermes: ſic corruptio Croboli illius (qualis qualis ſit) generatio ſit Pedantij, de quo quoàd humilitatem animi verè dici poteſt, (quod ſublunaris eſt, ſed quod ad artes attinet) ſupercœleſtis eſt.

Lyd. Mihi abeundum eſt, cùm videam vos iraſci tantoperè.

Ped. Ah! jam miteſco rurſus. Nos cholerici & citò ſuccenſemus, & citò placamur. O Phœnix vnica orbis terrarum! reſpice, non deſpice Pedantium, & vel uno verbulo amabili lætitiam inſtilla febricitanti cordi meo.

Lyd. Convaleſcas ut lubet: me multa manent domi negotia. *Exit.*

Ped. Evanuit vero? Quid putem? Contemptumne me? Non video vel in moribus, vel in rebus geſtis, vel in hâc mediocritate ingenij quid deſpicere ſtulta poſſit. Dicam de te

Lydia

Lydia (ut *Hannibal* de *Phormione*) multas vidi delirantes fœminas, at quæ te delirarct magis, vidi neminem.

Dro. Imò te video delirare, qui vis hanc gravitatem tuam ferri sursùm, seu elevari in levitatem amatoriam, cum natura velit omne grave ferri deorsùm.

Ped. Mihi verò sic omnem abstulit animum, ut nesciam ens sim an non ens. Sequere me.

Actus secundus. Scena Quarta.

TYROPHAGVS. CROBOLVS.

T. AT quid si fraudes has nostras senserit?

Crob. Quid si loquantur lapides, & videant postes? Hic quovis est obtusior lapide, nec majoris negotij est istum fallere, quàm ferire truncum; tu me vel nescire hic quid sit, vel ars nostra

quid

quid possit, putas? hic vanus est, hic Narcissus est, sui admirator inexplebilis. Cum ergo audierit *Leonidam* in honore & gratiâ esse apud Regem, eundemque obtinuisse, ut Regiam iste prolem erudiat, lætus, gloriosus facile credet, quod cupit; nullum dolum, nullas fallacias suspicabitur. Accinge jam itaque te.

Tyr. At metuo malè, ne viginti minas, quas volumus, crediturus fidei meæ non sit, cùm cognitas ei haudquaquàm sim: & certè si nosceret, nequaquàm crederet.

Cro. Vah, ubi est acumen tuum? quasi vel velit vel audeat negare, quod Leonidæ postulatur nomine. Te verò indutum hâc tunicâ satellitis regij, & fide & honore dignissimum judicabit. Si non obtinueris, nihil pericli, sin adeptus, particeps predæ. Eia igitur, age.

Tyr. Si vel viderit semel mores meos venustos, sermonis grandiloquentiam, gestum corporis athleticum,

vultum

vultum non macilentum & veternoſum, ſed floridum & pinguem, corpulentiam iſtam ventricoſam, proculdubio principis in aulâ me nutritum conijciet.

Cro. Fac ut ſentiat te aulicum eſſe reverâ, ſalutes hominem ſubmiſsè, curvato corpore, tibiâ alterâ porrectâ retrorſùm longiſſimè, pleno cùm complexu brachiorum compelles magnificentiſſimè, promittas ſummos quoſque honores, donec in officinam productus fraudum tuarum, è rudi metallo in nummum legitimum cudatur.

Tyr. Incidiſti in hominem capaciſſimum diſciplinæ hujus. Veterator aut Sycophanta me nemo doctior: geſtit jàm animus meus mihi aggredi hominem.

Cro. Intellextin' tu non revelandam hanc artem noſtram Alchymicam? extrahenda eſt ei quinta eſſentia.

Tra. Sine modò, ego eum tractabo aſtutè & Alchymicè.

Cro. Incipe, ad appoſitum: oſtium patet, invitat ultrò te domus ipſa; tu

fac,

fac, vt Dominum hunc ſuum ſuppoſititium evomat illicò : ego te domi meæ hoſpitis expectabo.

Tyr. Eo. *Exit.*

Cro. Spero quidèm jam id effecturum me, ut & iſte ſumptus nobis perpetuos ſuggerat, & mihi deinceps faciliores ſint ad Lydiam meam aditus, ſi iſtum iſtinc abegero, qui jam nos, ut Argus, obſervat, inhians puellulæ quaſi prædæ ſuæ : quem ego nunc ut prædam meam deglutiam ; ſentiet ſtomachi noſtri calor quantò ſuperet ſtruthiocameli furnum. Nàm certè concoquere hominem, & planè abſumere decrevi: Poggloſtum credo carcere concluſum aliquo, cùm jàm nuſquàm appareat. Reviſo quid hic agatur.

Actus tertius. Scena prima.

PEDANTIVS. TYROPHAGVS.

ITan' quid eſt hoc? Ain' verò? repete, obſecro. *Tyr.*

Tyr. Majestas (inquam) regia, cùm Leonidæ (discipuli olìm tuj) scientiam & mores vidisset, cæpit hunc amare, teque laudare palàm, è cujus Scholâ prodijt, jamque te accersivit, vt sobolem committat suam tibi educandam similitèr doctè & piè, quò prosit patriæ. Ego Satelles præstiti quod mandatum erat paratissimè.

Ped. Sciebam me Oratorem, non Aratorem, *ad Curiam me* natum, *non ad Currum* esse; quid dico, natum? ab aliquo Deo factum, ad quem tanquàm ad mercaturam bonarum artium omnes confluant. Nàm ex ludo meo innumerabiles Oratores (tanquàm ex *equo Trojano*) prodierunt. Iam ego in foro, in curiâ, in oculis civium, in luce reipub: versabor.

Tyr. Quamobrem & ego (ornatissime literatissimeque Vir) Regis mej nomine per tuam te bonitatem (quæ est in mortalium rebus gloriosissima) perque scientiam ipsam (quam omnes admirantur) obsecro, ne recuses præstare quod

quod petitur, neve privatum otium anteponas utilitati totius reipub: Insuper (audi in aurem) ditesces ad satietatem usque.

Ped. Verum enimverò, generose, si existimes me lenocinijs istis pecuniarum capi posse, toto erras cœlo, vt dicitur. Sed tamen, cum illam Ciceronis mei sententiolam mente revolvam, *Non nobis solùm nati sumus*: video me quodammodo pedibus ire in sententiam tuam.

Tyr. Benè mehercule facis, & Leonidæ etiàm tuo gratissimum, qui adventum tuum expectat avidè; ut ingenio fruatur & suavitate morum tuorum.

Ped. Video te esse hominem probum & prudentem, non est enim pingue quiddam & crassum, quod dicis, sed acutum & honestum etiàm. Nam laudas me, quod ego (cum verecundior sim) nollem fieri; sed laus sequitur fugientem.

Tyr. Invidiosum esset non laudare eum, cuius laus ab ultimis Academijs, vrbibus-

vtbibusque in Regalem Curiam penetravit.

Ped. Accipio responsum: Iamque te complector istam ob virtutem tuam, ac si tantùm facultas mea possit quantùm voluntas cupit, effunderem protinùs in te pelagus beneficiorum meorum.

Tyr. Grauissime magister, humanitas tua jàm me audacem facit; unum hoc igitur petam, ut (quoniam tu apud principem Gratiosus futurus es) mej etiàm apud eundem memor ut sies; te certum est brevi futurum ei à Consilijs, tractaturumque negotia maxima huius reipub: undè facilè poteris mihi interdùm optimè opitularier.

Ped. Quoniàm, quæ accepimus utenda, maiori mensurâ reddere iubet *Hesiodus*, ego imitabor agros fertiles, qui multò plus reddunt quàm acceperunt: sic semina hæc benevolentiæ tuæ in istius pectoris fundo radices agent altissimas, proferentque tibi messem magnam amoris nostri, nostri (inquam

sic

ſic enim magnates reliqui veſtri (ſocij mej) loquuntur, annon?

Tyr. Licebit tibi deinceps regio loqui more, poſtquàm regi familiaris factus fueris. Præſtolatur jam rex adventum meum : ain' igitur venturum te ?

Ped. Dicito regi (amico meo) ſummo ſalutem meo nomine plurimam, meque ejus in gratiam & patriæ meæ cauſâ facturum quæ velit, illud modò teneat memoriâ antiquum quidèm (ſed & ità verum, vt neſciam antiquiùsne an veriùs) *Honos alit artes.*

Tyr. Leonidæ autèm de viginti minis (quibus ei ſine morâ utendum eſt ad vſus graviſſimos) quid vis ut reſpondeam ?

Ped. O Leonida, tu es Planta mea frugifera, & ego bonus Hortulanus irrigavi te præceptis fructuoſiſſimis, qui profers jàm non ſolùm folia, id eſt, verba; ſed etiàm fructus, id eſt, facta ad meam utilitatem.

Tyr. Ità ſapientèr & ſuavitèr loqueris,

queris, vt doleam, mihi abeundum esse tàm citò. Nàm certè Leonidas nummos expectat istos iam diù.

Ped. Quandoquidem bis dat, qui citò dat, habebis illicò quos ad eum deferas: nolo ut tardè veniant. Mihi autem priusquam me dē itineri, componendæ sunt res domesticæ, sivè (ut Græci loquuntur) œconomicæ, tùm etiàm comparandæ vestes aulicæ: Nàm *splendidæ vestes sunt nobilitatis testes.* Sequere me.

Actus Tertius. Scena Secunda.

POGGLOSTVS *solus.*

DIj vostram fidem! quanta in foro furum turba? quàmq; pauci sunt qui honestè vivunt? latrocinantur jàm omnes, & quod omnibus convenit, mihi quoque congruere natum est; nàm humani

ſic enim magnates reliqui veſtri (ſocij mej) loquuntur, annon?

Tyr. Licebit tibi deinceps regio loqui more, poſtquàm regi familiaris factus fueris. Præſtolatur jam rex adventum meum : ain' igitur venturum te ?

Ped. Dicito regi (amico meo) ſummo ſalutem meo nomine plurimam, meque ejus in gratiam & patriæ meæ cauſâ facturum quæ velit, illud modò teneat memoriâ antiquum quidèm (ſed & ità verum, vt neſciam antiquiùsne an veriùs) *Honos alit artes.*

Tyr. Leonidæ autèm de viginti minis (quibus ei ſine morâ utendum eſt ad vſus graviſſimos) quid vis ut reſpondeam ?

Ped. O Leonida, tu es Planta mea frugifera, & ego bonus Hortulanus irrigavi te præceptis fructuoſiſſimis, qui profers jàm non ſolùm folia, id eſt, verba; ſed etiàm fructus, id eſt, facta ad meam utilitatem.

Tyr. Ità ſapientèr & ſuavitèr loqueris,

queris, vt doleam, mihi abeundum esse tàm citò. Nàm certè Leonidas nummos expectat istos iam diù.

Ped. Quandoquidem bis dat, qui citò dat, habebis illicò quos ad eum deferas: nolo ut tardè veniant. Mihi autem priusquam me dẽ itineri, componendæ sunt res domesticæ, sivè (ut Græci loquuntur) œconomicæ, tùm etiàm comparandæ vestes aulicæ: Nàm *splendidæ vestes sunt nobilitatis testes.* Sequere me.

Actus Tertius. Scena Secunda.

POGGLOSTVS
solus.

DIj vostram fidem! quanta in foro furum turba? quàmq; pauci sunt qui honestè vivunt? latrocinantur jàm omnes, & quod omnibus convenit, mihi quoque congruere natum est; nàm humani

mani nihil à me alienum puto: Sed illud me angit maximè, ità multos esse nunc nostri ordinis, vt nè vivere quidèm indè singuli possimus. Furum alij sacri, alij profani: alij docti, alij indocti: alij generosi, alij pauperes: alij senes, alij iuvenes: alij publici, alij clancularij: alij violenti, alij vafri: ego his singulis (prout libitum est) vtor ad placitum. Sed est genus quoddam hominum tenax admodùm, qui recondunt cupidè domi, non autèm circumferunt pecunias suas secum, ne fortè cogantur interdùm nobis miseris opitularier. Quos ego deinceps tractabo crudelissimè, ut discant conferre bona sua in commune: utinàm jam hîc nummi hominum omnium, & divitiæ totius orbis unâ essent in crumenâ positæ, eæque sub mei censurâ pollicis & culcri caderent: quàm ego illam lubens artificiosè amputarem?

Actus Tertius. Scèna Tertia.

TYROPHAGVS. POGGLOSTVS.

Tyr. Quàm ego amo te amabilissimum marsupium? in tuâ salute sanior sum; quod tu contines me continet: vos nummuli animuli mei, vindicavi jàm ego vos è servitute duri Domini in libertatem & lucem virtute meâ.

Pog. Deteriores fiunt homines, dùm agimus cum ijs humanitèr: sed contestor carcerem ipsum (patriam meam) non passurum deinceps injurias istas malevolorum, qui ne tangere unquàm vel spectare sinunt nummos me suos: adhibebo posthac leoninam vim; nunc revertor ut videam, herus meus numquid intereà temporis lucrifecerit, ut cum eo etiàm (pace eius) participem: ego siquid fortè capio, mihi id omne reseruo, eo ut fundos aliquandò emam. Tyrophagum (quem vt convenirem

 emisit

emisit me) dicam domi non esse, quem nè quæsivi quidem; nec quis, qualisve sit, vel scio, vel curo.

Tyr. Nimis me delectat species hæc honorifica vestra, quâ teneor etiàm cùm festinandum sit: sed ibimus hinc jàm relinquentes hoc littus avarum: equidèm onus suscepi in me gravissimum.

Pog. Liberabimus te hoc onere, & in collegam tuam conferemus.

Tyr. Collegam mehercle facetum, gaudeo incidisse me in hominem tàm urbanum; Nùm ad urbem obsecro? ego tecum vnà.

Pog. Imò mihi in longinquas regiones peregrinandum est, quarè hoc à te volo viaticum.

Tyr. Vtinàm ego tibi quid benè facere possem, videris homo perjucundæ consuetudinis; sed cur tu patriam deseris? muta istam mentem, & mecum ad aulam principis revertere, ibi ego te & honoribus & præmijs augebo maximè.

Pog. Tu fontem videlicèt habès domi,

domi, non eſt itàque cur mihi rivulos iſtos deneges: age, dato marſupium.

Tyr. Certè feſtiviſſimus es, ità ſimulas quaſi ſeriò ageres.

Pog. Expedi, inquam, ſi ſapis: mihi enim abeundum eſt.

Tyr. Profectò ſi fur eſſes reverà, non poſſes aptiùs.

Pog. Acturus ſum, uti ſpero, aptiſſimè: quarè niſi appoſitè reſpondeas mihi quod rogo, ego machæram iſtam aptabo ventri tuo, velut vaginæ, idque ſtatim.

Tyr. Ego ſatelles ſum regius; vide quid facias.

Pog. Ego Rex ipſe ſum, fac quod jubeo.

Tyr. Vnicum hoc verbum patere me proloqui, (*Patibulum*) Iàm abſtinebis opinor.

Pog. Et ego vno viciſſim utar verbo, (*Gladius.*) Iàm reddes quod requiro, annon?

Tyr. At ſatis jàm jocatus es, perterrefeciſti profectò me, Quæſo quanti

hunc emisti gladium, nùm licet spe-ctare?

Pog. Age, sic urgeo. Responde bre-vitèr, daturusnè es?

Tyr. Gratissimum nobis feceris, si agis aliâ ratione.

Pog. Hic homo nugas nectit, sis ani-mo forti, Poggloste, & vel homicida sis, modò crumenicida.

Tyr. Miserum me! quid audio? quo fugiam? Crobole, Crob.

Actus tertius. Scena Quarta.

CROBOLVS. TYROPHAGVS. POGGLOSTOS.

Cro. QVænàm hæ sunt furiæ ante fores? quis evoravit Crobulum?

Pog. Ego Herc. Sceleratus hic, quem vides, me maximis & indignissimis af-fecit iniurijs.

Cro

Cro. Hèm, Tyrophage, quid agis? Tu ſervum meum?

Tyr. Tu tales alis ſervulos? Occidere me voluit.

Cro. Tu amicum meum auſus es tractare malè, peſſime?

Pog. Tu amico tuo potius quàm ſervo credis? tùm ego amicus tuus poſthàc non ſervus ero.

Cro. Dic igitur, quam hic admiſit in te culpam?

Pog. Rogitas? irriſit, maledixit, me ſervũ aiebat eſſe miſelli hominis & nequam: ſe verò (quià ſatelles eſſet regius) poſſe quemvis impunè occidere, & niſi ego opem tuam & gladij mei imploraſſem, mactaſſet me carnifex: Tamen (ut plerunque ſolent iſti nebulones) me jàm accuſat, quem ille nunquàm æquabit virtute.

Tyr. Ego te, os impudens pro tribunali Iudicis accuſabo, ni taceas, non tu ferro ſtricto marſupium petijſti meum?

Pog. Quid ſi tibi largiar petijſſe me? (quod

(quod tamèn adhuc non concedam) non tu ſupplicantem repuliſti inhumanitèr?

Cro. Tu ſoles ſupplicare vi et armis, improbe.

Pog. Interroges hunc ipſum, numquid me non jocatum fuiſſe dixerit: Tu me (Here) cenſes furem eſſe?

Cro. Non hunc aggreſſus, ut nummos ejus eriperes?

Pog. Eripere? Nihil minus: ſpectare fortaſſè volui.

Tyr. Aegrè ferrem profectò, te linceis illis oculis, & milvinis manibus meam in crumenam penitùs introſpicere.

Pog. Hoccine præmium eſt honeſtæ vitæ, ſic immeritò ſuſpectum haberi? Si voluiſſem ego per fraudes & iniurias creſcere, non ità tenuitèr nunc viverem.

Cro. Si quid huic intentabas mali, id in me machinatus es.

Tyr. Quod ignoſco jàm tibi, huic acceptum referas.

Pog. Ego vix tibi poſſum ignoſcere, ità perverſè reſtitiſti.

Tyr.

Tyr. Sed caue deinceps istos aculeatos jocos, viden' crumenam hanc meam (quam amas) ut è fibulâ pendet more latronis?

Pog. Latronis vero? quæso igitur gaudeat simile simili (Aedepol itâ eam amo, ut vel è reste penderem ejus causâ) patere precor vt cultro meo eam hoc solvam suspendio.

Tyr. Beneficium tuum malè collocabis, & in ingratum; Nam si tu eam præscideris, ne pendeat, faciet illa te pensilem propterea.

Cro. Satis jàm in utramque partèm: Tu retineas tibi hoc quicquid est nummorum, sed audin'? nec omne, nec solus, nec semper; te autèm tortoribus & lictoribus tradam meis, egestati nimirùm & ieiunio; ut discas deinceps continentes habere digitos. Te, Tyrophage, non possum sic dimittere, potus siquidem (gluten amicorum) antè degustandus.

Tyr. Optimè ibi etiàm hoc ornatu me exuam. Eamus.

Actus Tertius. Scena Quinta.

PEDANTIVS. DROMODOTVS.
LVDIO.

Ped. EGo istos, quos narras emunctæ naris Iudices, ne flocci facio, ne tantillum curo, denique contemno imò despuo. Non etiàm Academici vestri in vestitu jàm Aulicos imitantur, qui sunt mecum neque ingenio neque authoritate comparandi? Deindè, *Cùm fueris Romæ Romano vivito more*, vbi vivere capitur pro vestiri, pronunciare, pro vesci, bibere, & huiusmodi:& Aula est veluti Roma, & ego Aulicus quasi Romanus.

Dro. Abundè satisfecisti huic objectioni: nàm ego de istis accidentalibus & extrinsecis habitualibus minùs laboro, modò motus tuus Philosophicus sit uniformis, nec unquam irregularis, gravitatem habeas immobilem sempèr, quasi stella fixa, non vt cœteri planetæ vestri

veſtri Aulici, quorum rotatio eſt erratica, aliquandò directa, aliquandò ſtationaria, aliquandò retrograda. Tu nihil unquam committas tale, quale deordinet compoſitionem veſtram Philoſophicam.

Ped. Ego ſuadebo ſempèr ſalutaria reipub. conſcribam hiſtorias rerum geſtarum, Legatis reſpondebo facundè, nobiles tractabo comitèr vt familiares, fœminas autem aulicas ad luſum & riſum provocabo, hæc me ad altiſſimum dignitatis gradum perducent.

Dro. Quod ad documenta aulicalia attinet, me audi. Primùm, diſſimulandum eſt profundiſſimè (hoc eſt enim in Aulico *totum in toto, & totum in qualibet parte*) Secundò, debes (ſicut genus ſubalternum) *& ſubijci ſuperioribus, & prædicari de inferioribus.* Tertiò, in omnibus quæ dixerint nobiles, quantumvis manifeſtè falſa, (puta cœlum quieſcere, & terram moveri) tu ſis tamen veluti *vox ad placitum*; quæ fingentis arbitrium ſequitur. Inſupèr

quemadmodum ſol in Signifero juxta diverſitatem ſignorum, per quæ diſcurrit, alitèr atque aliter operatur; ſic te oportet in illo aulico Signifero alitèr; ſi in *ſcorpionem* incideris, alitèr; ſi in *virginem*, alitèr, ſi in *Capricornum*, alitèr actiones tuas vel intendere vel remittere. Præthereà quod ad prædam attinet, ſis ſanè vel ipſum *genus generaliſſimum*, capaciſſimum, rapaciſſimum, manuſque habeas quaſi voces contradictorias, quarum altera continet omnia (*ſcil:*) protendens, altera nihil: (*ſcil:*)præſtans. Vltimò, paraſitas etiàm conquiras tibi, qui te ex inani, & nullo, & non ente immenſum, infinitum, tranſcendens efficiant.

Ped. Eſt hoc aliquid quod dicis, tamèn in hoc aliquo non inſunt omnia; Neque enìm docuiſti manum deoſculandam eſſe in ſalutationibus, neque erigendos eſſe ſparſos capillos, idque ſæpiùs, quibus ego os ſublime dabo, cœlumque videre jubebo, & erectos ad ſydera tollere vultus. Tùm non *Proteus*

olìm

olim plures se in formas transtulit (de quo penè ubique legitur apud Poëtas) quàm ego vultũ meũ, & maximè quidèm barbam, & potissimùm superiorem eius hanc partẽ bicornem, quæ barbarè dicitur *Mustaches.* O barbariem, barba comptula & calamistrata indignam! Adde etiàm, quod hunc habiturus sum puerum pedissequum, qui sandalia mea (*Pantofles* dicta ἀπὸ τῦ πάντα φέρειν) mecum vndique circumferet. Denique ità graphicè me geram, ut ipsissimum *speculum Tuscanismi* se videre quisq; dicat in hoc *vultu Itali.* Hæc singula maximi sunt momenti, & studijs dignissima nostris.

Lud. Ego eruditissime Præceptor.

Ped. Ah! vide; Ludio suaviloquens puer, quanquàm sum reverà eruditissimus & *erudientissimus* Præceptor tuus, tamèn jàm, jàm inquam, postquàm in celsiorem & sublimiorem sedem honoris ascensurus sum, isto potius me affari modo debes, *Honorande Domine, Mæcenas dignissime,* placeat modò

am-

amplitudini tuæ? Hæ ſunt enim voces illæ Rhetorum amplificativæ per ſe.

Lud. Ego, honorande Domine, miq; Mæcenas digniſſime, omni officio vel potius pietate erga te tibi ſatisfaciam ſemper, in quo mihi ipſi tamèn nunquàm ſatisfacio.

Ped. *Ciceronianiſſimum* puerum! (adhibendum eſt enim & ſuperlativum & ſupralatinũ vocabulũ) ut huic ſatisfaciam, vides tu jàm quid ſit ex Epiſtolis Tullij familiaribus colligere phraſes pluſquã familiares? In iſto videre potes qualẽ, me abſente, Parillũ meũ efficias: volo vt elegantias ſelectiſſimas, purpuratas ſententiolas, gemmeas metaphoras, tanquam ſtellas, denique tropicas cum locutiones doceas.

Dro. Tropicum *Cancri* dicis, an *Capricorni*? Vah, hoc eſt, in ſuperficie repere, non ad rem pervadere medullitùs, & penitiſſimè. Vos habetis *formalitates* iſtas phraſium, ſed non eſtis materiati, neque guſtatis unquàm de *Modalibus*.

Ped.

Ped. Proh Dij immortales! tunc ſolus doctus? Egone me didiciſſe aliquid non gaudeam? Tunè ſolus doctus? Quid ſi ne doctus quidèm? quid ſi ſtultus etiàm? Sermo tuus ſcatet barbariſmis & ſolœciſmis.

Dro. Non poſſum dicere tàm largè quàm tu, ſed ſtrictè ſi agas mecum, & Dialecticorum pugnis, emittam in te ex arcu ingenij mei ſagittam ſyllogiſticam, tribus plumis, ceu propoſitionibus compactam.

Ped. Video te Cimmerijs tenebris occœcatum eſſe, & egere multùm candelâ ingenij mei.

Dro. Tuum ergò caput candelabrum eſt.

Ped. Quid ego tibi multa? Diogenes Cynicus es. Compara dolium tibi.

Dro. Carcer amoris eſt dolium tuum dolorificū. Sed ut probem te idiotā eſſe, reſponde; *Non tibi videtur Sol bipedalis?*

Ped. Tu videris pecus, non decus; Non eſt enim oratio tua calamiſtrata;

tractas

tractas argumenta illotis manibus, scilicet, sermone *Duncico ac Dorbellico.* Denique fœnum es: ego vero ambrosia; quin & mihi etiàm philosophari placet, sed paucis, ut *Neoptolemo* cùm Ennio, apud Ciceronem.

Dro. Miseret me brutitatis tuæ. Habes pluralitatem verborum, sed nullitatem philosophiæ. Concludam inevitabilitèr contra te, Absurditates sunt tanquàm meteora, & imperfectè mixta, quæ conflantur ex vaporibus istis verborum; Ego verbosior, absurdior; Quid ad hæc? Aut nega aliquam propositionem, aut distingue de aliquo termino, si possis.

Ped. Ad argumentum tuum posteà, nunc brevitèr in continuato dicendi genere. Hem. Gravi èr & iniquo animo maledicta tua paterer, si me, si te, tuamque——.

Dro. Nôn patiar te sic subterfugere: responde brevitèr.

Ped. Nosti Regem præstolari adventum meum; tamèn, quoniàm nolo ut

cristas

cristas tollas, sic habeto. Ratio tua est languida & enervata: tùm etiàm in ea latet quiddam, quod non patet: Præterea propositiones tuæ sunt Scopæ dissolutæ; Denique non est Syllogismus. Postremò repete.

Dro. Hæc etiàm sunt mera crepitalia, & tintinnabula verborum. Ad rem & rhombum quid ais? Si non possis huic respondere, agam alitèr.

Ped. Es tu quidèm acer in disputando. Ego mallem *cedendo vincere.*

Lud. Imò verò (dignissime Domine) vinci, labi, errare, decipi, & malum & turpe est, tuamque id dedecet sublimitatem. Hic ut à te palmam ferat? Certè potes eum (si libeat) vel in cineres redigere æstu & ardore facultatis tuæ.

Dor. Si haberes ingenium mollificabile, aut ductile, quod jàm congelatum est & incrassatum ignorantia, perducerem ego te ad inscrutabiliá quæque fossilia Philosophiæ.

Ped. Quia triumphas ante victoriam, sic rursus classicum cano: Cur non

potius

potus facit *poti* in genitivo, ſicut *cibus* *cibi*. Sed, ſi placet, iſta ſicco pede prætereo.

Dro. Revera contrappoſitio iſta inter nos non eſt ex conſequenti, cùm tu Rhetorculus mihi Phyſiologo *ſubalterantìm* non *contradictoriè* opponaris; idcircò (cùm nullum violentum ſit perpetuum) deſiſtam jàm te taxare tàm terribilitèr, præſertim cùm jàm permotus ſis in favorem Principis, quaſi in tertiam regionem aëris: quod unum ſi jàm Lydia tua ſciret, miteſceret fortaſſè ſtatìm, & te rem expetibilem duceret.

Ped. At illam ego nunc ducam (vel dijs hominibuſque invitis) etenìm urgebo illam literis regijs mandatorijs. Sed videon' illam exeuntem? Ipſa eſt. Iàm videor in quartam regionem aëris aſcendiſſe.

Dro. In quartam regionem aeris? Auſculta obſecro; Occurrit enìm mihi jàm ex tempore ſubſtantialis quædam ſubtilitas: ſcilicet *in ignem*, qui certe

ex

ex mente Commentatoris, nihil est aliud quàm aër inflammatus.

Actus tertius. Scena Sexta.

LYDIA. PEDANTIVS.
DROMODOTVS. LVDIO.

L. NÆ fortuna ludis me miris miserisque modis. Næc eadem de nuptijs quoties cogito, toties fluctuat magis mens mea incertâ spe.

Ped. Ecce ergò tibi stabilimentum mentis tuæ, in quo acquiescere possis, tanquàm in opportuno aliquo Diversorio.

Lyd. Tibi verò nulla sit quies, qui me vbique vexas.

Ped. Itan'? tàm atra verba è tàm lucidis labijs? *Quousque tandem*, Lydia, *abutere patientiâ nostrâ?* O virgo (quæ virga es mihi) aperi tandèm fores

fores mansuetudinis tuæ, vt vel jàm demùm intrare possim in palatium regale cordis dignissimi. Nàm quod precatus sæpè sum a dijs immortalibus, ut tecum unà *multos modios salis comederem*, id nunc votis opto ardentioribus. Etenìm coruscus cãdor coloris tui cordiolo meo gravem securem inflixit amoris amarissimi. Quare (deliciæ generis humani, ipsaque Suadæ medulla) te per *Cupidineam stultitiam* meam, perque gratiam tuam supplex ad genua abjectus tua obsecro quàm humillimè, ut tandèm post tot tempora nubila, candidum candidatum tuum (*est hoc forense vocabulum*) digneris non lividis, sed Lydijs oculis intueri.

Lyd. Vtinàm te oculi mei vel expirantem jàm cernerent.

Ped. Pergis evomere virus acerbitatis tuæ? Solem è mundo tolleret, qui tolleret è vitâ Pedantium. Aliquando (ut furiæ) sic tuæ tibi occurent injuriæ, eruntque tibi tortorijs serpentibus horridiores, quæ *vitæ-perdaes*, & montes

monstrosi

monſtroſi mali jàmdudùm in me ardentes jacis.

Lud. Honorande Mæcenas: dicax hæc & convitiatrix eſt fœmina, ut videtur. Viſne igitur (quoniàm non decet hoc nobilitatem tuam) ut ego illam Ciceronianis & Terentianis maledictis onerem?

Dro. Puella, vides hunc radijs nocturnis tuis factum eſſe penè Lunaticum: nàm tu es *Luna* ad eum, & facis fluxus & refluxus in mari mentis eius: in quo animadvertere potes infinitatem quandàm amoris coniunctam cùm universitate doloris: quid ſi jàm ex iſtis duobus concretis compactis & coagulatis inter ſe generetur deſtructiva aliqua privatio ſpirituum vitalium? Nùm tu ſic organicum hoc reipub: membrum cauſares mori amore tui? Itaque noli ampliùs nauſeantem ſtomachum habere adverſus eum, qui te veluti confortativum & reſtaurativum ſuum appetit.

Lyd. Ego nec tu quid dicas, nec

mec, ille me amet necnè, ſcio.

Ped. Si hic ſit ſtatus controverſiæ noſtræ, iàm in manibus eſt victoria: Quantum ego te amem, parietes ipſi medius fidius loquantur, cuius ſanè ſuavitatem ſitio, ſicut Tantalus vndas olìm (nota eſt fabula, & habet plurima Allegorica) & niſi ineptum putarem id in tali diſputatione facere, (quod cùm de repub: diſceptetur, fieri interdùm ſolet) iurarem per *Iovem, deoſque Penates* ardere me ſtudio incredibili, tui reperiendi, & ea ſentire quæ dico; Sed quià ſcio te delectari concluſis, ſic concludo. Sumne ego animal rationale? tùm cèrte te amo, tu es mea meta, ſcopus, fœlicitas, ſummum bonum, & deniquè finis ultimus.

Dro. Audi nunc pauca ſuper hæc *commentativè*, ſed ſummatìm. Cùm appellat ille te finem ſuum, primùm fatetur te eſſe quiddam prius honore. *Nam finis eſt præſtantior iis quæ ſunt ad finem.* Denidè teſtificatur ſe naturalitèr & proprie, adeoque intrinſecè, &

cùm

cum quadam intentione devotâ te ſemper reſpicere. Nàm ſicut Philoſophus amet Philoſophiam Finem ſuum, & Rhetor eloquentiam finem ſuum (nec *in cœteris eſt contrarium reperire*) ſic ille ipſiſſimam *Ipſitatem*; illam & *egoitatem* tuam, ut ultimum perfectivum ſuum, quatenus in quantum, & in eo quod finis es, & in ſumma *finis finium*.

Lyd. Noui ſatis amores veſtros, uno momento & incaleſcitis, & frigetis denuò.

Dro. At Amor huius non capitur confuſè, ſed ſupponitur immobilitèr, & habet immutalitabitem inhæſivam fidelitatis in ſe.

Lud. Tu alios inconſtantes cenſes, cùm ipſa maximè ſis; nam levius quid vento? mulier. quid muliere? nihil.

Ped. Favcte muſæ præſides, tuque princeps Apollo. Dicendum eſt enìm iàm de re in orbe terrarum maximâ, de conſtantiâ meâ. Mehercule (ô Philoſophia ipſa, & eloquentia mea) non

ſum

ſum rotundus,ſed quadratus, & amor meus eſt immutabilis (ut prudentèr iàm modo notatum erat ab hoc viro graviſſimo) in cujus rei teſtimonium,ſi jâm hoc corpus meum in *Phalaridis tauro* ſuccenſis ignibus torreretur, tuam ob gratiam, dicerem certè, *Quàm ſuave eſt hoc*! Quin-etiàm priùs erit glacies flammiger ignis, & tenebræ denſæ vaga ſydera poli, priùs ponderoſum grave volabit in altum,vt aliger, & quaſſabit vanos ventos levis pluma, priùs oderit Iupiter vaccam *Iô*, nec me amabit prudentiæ parens Pallas, quàm ego te derelinquam.

Lyd. Eſto: an itaque cuivis me ut dem,qui amat me?

Dro. Nec hoc volumus: id enìm eſſet efficere *quidlibet*, *ex quolibet*, ſecundũ *Anaxagoræ* ſentẽtiam abſurdam,quod quidem produceret monſtrifica effecta. Sed hic (ſalvâ interìm reverentia tuâ) in omnibus eſt æquipollens tibi; habet & corporis, & animi, & fortunæ bona. Corporis; eſt enìm (ut vides) pulcherrimus

rimus quidam quasi μικρὸ κόσμος. Animi; nàm & speculatione (quæ nullam patitur ligationem sensuum) & praxi (quæ non sinit eum dormire per totam vitam) tanquàm sole & lunâ decoratur. Fortunæ; quia *Deorum sunt omnia*; sapientes (qualis hic est) amici sunt deorum, & amicorum omnia sunt communia. Ergo hujus sunt omnia.

Lyd. Dignissime Mæcenas, contemnas tu istam, Rex tibi dabit conjugem præstantiâ dignam tuâ. Te verò mentis inopem, quæ oblatum hoc respuis aurum; hic tibi omnia tanquàm virgulâ diuinâ suppeditasset.

Ped. Hactenus in apologetico, nunc ad encomiasticum genus veniendum est. O Helena mea! Nàm sicut huius causa recuperandæ omnem olìm *Menelaus Græciam* excitavit, sic ego, hanc ut adipiscar, *Latinitatem* omnem Romanæ gentis eduxi in aciem. Quanquam laus proprio sordet in ore, tamèn, cùm sciam me habere licentiam Poëticam, aggrediar, complectarque brevi,

&

& multò breviùs, quàm res tanta dici poteſt. Non ſum ego *vnus è multis*, ſed *præ multis vnus*. Nàm licet ſtultorum plena ſint omnia, ſemper tamen excipe *Pedantium*, quem dicunt uno ore omnes eſſe naturæ miraculum: de virtutibus meis ſi dicerem, dies me deficeret: artes non pauciores ſunt in meo cerebro, quàm in hoc capite capilli (id eſt, *capitis pili.*) Quis in Grammaticâ congruus? Nonne Pedantius? Quis in Poëtarum hortis floridus? Nonne Pedantius? Quis in Rhetorum pompa potens? Nonne Pedantius?

Lyd. Hei! *nonne, nonne, no* Pedantj.

Dro. Habe hunc maritum. Eſt quidem macilentus, ſed eo magis generativus: habet gracilem tibiam, ſed groſſum & nervoſum femur. Primà nocte gignet maſculum incontingentèr.

Lud. Si ſcires, quales iſte gignere liberos poſſet, nunquàm eum recuſares. Merus Ciceronianus & Terentianus erit iſtius filius primo die: & plorans

librum

librum poſtulabit eadem quâ natus eſt horâ.

Dro. In primo inſtanti poſt, etiàm antequàm ſugat lac maternum, quod eſt Infantis cauſa nutriens, & conſervans vitæ, & augmentationis quantitivæ principium materiale.

Lyd. Num mater tua chartis veſci ſolita, ut tu libros è mammis ejus ſugeres?

Dro. Certè ſi chartam comedat mulier, ſignum eſt eam habere morbum *ictericum*, qui ex hepatis obſtructione oritur, & facit manducare carbones & alia non nutritiva.

Lud. Domi ſoror mea nimis pallet, & ſæpe lingit cineres miſella! Dixit Medicus eam opus habere Marito.

Dro. Quid ſi egò jàm hujuſce diviſibilis anotomiam ſeu ſectionem facerem (eſt enim cùm omnibus inhærentijs ſuis totum integrale) oſtenderem ſic omnes nervos, cartilagines, & muſculos artis complicatos in eo, maximè autèm *humorem criſtallinum eloquen-*

tiæ in oculo animi: tùm tu nihil haberes priùs Pedantio, qui nunc nihil habes posteriùs. Cognoſcere potes eum ad magna & excelſa natum, primò, quia *naſum habet Perſicum*; deinde, quia Rex (qui eſt primū agens in hoc noſtro politico corpore) animam filij ſui huic traditurus eſt doctrinâ farciendā. Quapropter (quandoquidem nullum habes aliud perceptibile inſtrumentum præter ſenſum & intellectum) ſit hic tibi, quoad ſenſum tibi proprium, objectum perpetuò; quoad intellectum, *agens intellectus*, tu autèm illi *patiens* viciſſim: ità qui hactenus jàm diu fuit in ſenſu, nunc tandèm veniat in intellectum. Meâ cauſâ hunc reſpice.

Lyd. Eo quidèm minùs gratus hic mihi, acceptuſque eſt, te quod habeat tàm ineptum adjutorem ſibi.

Ped. Vides me (ſplendidiſſima Lydia) ſplendidiorem eſſe, quàm conſuevi: ſcilicet Pedantius tuus deinceps in ſtrepitu forenſi verſabitur generoſiſſimè: regius Conſiliarius, ſed tuus tamèn Maritus, ſi dijs placet. *Lyd.*

Lyd. Quiescas quæso tandèm, hocq; responsum feras, non posse me animum inducere meum te vt amem. Quare ne sis ampliùs posthac mihi molestus.

Ped. Molestus? jàm te non stultam, vt sæpè, non improbam, vt sempèr, sed dementem & insanam rebus addicam necessarijs: Quæ (si eo me æstimarem quo deberem pretio) non digna es quæ calceos meos mundes. Cave nè princeps meus te cane pejùs & angue oderit. Sed quid ego colloquor diutius cùm hac *Amazone*, quæ nullas habet mammas misericordiæ, delectata nimirùm arcu crudelitatis. Habeas, valeas, vivas cum illo pediculoso nebulone.

Lyd. Tandèm spero liberatam esse me importunitate tantâ stolidi hujus, ex quo cœtera faciliora erunt omnia: vt sciat hæc Crobolus meus, quamprimùm curabo.

Dro. Nihil est omnino in hac habitabili zonâ nostrâ mihi tàm è regione, & ex diametro oppositum, quàm fœmina.

 mina.

mina. Nàm nos, qui in Physicis intermundijs atomos naturæ spectamus, mundanas istas muscas, vanitates meras & absurditates putamus, & tanquàm extra horizontem intelligentiæ nostræ positas. Hoc visum est nobis addere corollarium ad declarandum judicium meum, si quis fortè novitius perplexus sit super istâ re. Nunc abibo, & docebo Parillum.

Actus Quarta. Scena Prima.

CROBOLVS. POGGLOSTVS. TYROPHAGVS.

Cro. I Pogglostc, Poëtam affer, qui Tyrophagum meum apotheôsi aliquâ tollat in sedes superum; Huic etenìm præter astutissimam sapientiam, aræ, victimæ, cultus, immortalitas debentur.

Pog.

Pog. Visne etiàm, vt Templum aliquod, vel Capitolium ipsum huc feram humeris meis?

Tyr. Quid vos conamini? Ego mortalis sum, & quidèm frutex, caudex, plumbeus, si tecum verberone vaferrimo comparer.

Cro. Vtinàm istoc verum diceres! at mihi decrescit jàm indiès ars ista desuetudine, nec tàm doctè technas texo, quàm solebam; nàm æstas amoris exsiccavit mihi jam flumen fallaciarum, perierunt omnia simul postquàm amare occepi, simul maciem jàm jàm vides per hos membrorum omnium *Campos, vbi Troja fuit*: Quin nec edere, ut olìm, nec bibere possum, venter induruit miserè obstructionibus & oppilationibus. Metuo tabem: au, hei.

Tyr. Pudeat te sic lamentari: mihi verò fortunatus contrà videris (Crobole) cui sic omnia succedunt ex sententiâ, ut si à mane ad vesperum usque plaudas continuò, haud satis tamèn fœlicitati gratuleris tuæ.

Pog. Ego quidem etiàmsi Dijs, hominibusque invisus essem, etiàm si crux ipsa mihi honorificè salutanda esset, (quam ego adepturum me spero tandèm tot laboribus exantlatis) licet rueret resp: aut periret patria, haud pilo tamen tristior propterea. Here, vis saltèm paulispèr experiamur agilitatem meam?

Cro. Qui defuncto *Chremulo* Hero meo liberum me esse credidi, falsus sum, dominum mutavi solùm, servitutis verò durior manet conditio. Novos injecit misero compedes Cupido, potens Amor pistrinum continet, & molam in se, lorarij sunt spes & metus, qui lacerant alternis vicibus misellam mentem meam; fixus est animus & transfixus etiàm clavo Cupidinis. Interìm unum hoc me solatur, quod trabem ad hanc me ligarint tortores mei, quam dum complector modò vel ad mortem cædi me sinam non invitus certè.

Tyr. At liber, lætus, ludibundus jàm sis, superatus hostis est, & tua vicit Comœdia.]

Cor.

Cro. In prolusione versati sumus hactenùs: pugna manet adhuc, eaque difficillima.

Pog. Si pugnandum est, Here, habebis me instar omnium fustiferorum, Scutigerorum Armigerorum.

Cro. Captivam detinet senex hic intus Lydiam meam, ac nisi nummis redimatur, non dimittet. Quarè mihi hæc emenda est etiàm, non amanda solùm. Sed convocabo protinus Senatum consiliorum meorum. Adsis primùm Ratio (tanquàm *Cæsar semper Augustus*) tùm Inventio & Iudicium (veluti duo *Consules*) post Amor & Odium (*Tribuni plebis*) Deinde confidentia & circumspectio (*Ædiles*, siue *Taxatores*) cùm famulis suis dolo & largitione: postremò, universus simul *Equestris ordo* astutiarum mearum deliberate, decernite, pecunias hasce (quibus egeo) undè promam.

Tyr. Quid terram spectas stolide? Non habet hæc vt auri, sic ingenij fodinam. Erige caput.

Pog. Hèm, aperite, ecquis hic intùs est?

Cro. Ità me interturbas, pessime?

Pog. Volui quendam convenire ex Senatoribus, qui intùs consultant. Muti sedent. Certè in Senatu ipso dormiunt, velut *Aldermannj.*

Cro. Et me Herum esse non meministi, improbe? Parabitur ob ista tibi à me crux, & *colli-frangibulum.* Iterum propone *Magne Cæsar* negotium, ut deliberet *Senatus.* Eho, recte narras, placet brevitas Imperatoria.

Pog. Crucem minitaris? Sepulchrum hoc Majorũ meorum: Crucem? Suspẽdium mihi compendium. Interim neq; est satis tuam urgere sortem, Here, qui amando cerebrum defloccas, & exenteras epar: Exuas istam muliebrem mentem, & aliquod Herculeum aggrediamur facinus.

Cro. Quin tibi Dij omnes dignum exitium dent. Quid dictant *Consules*, strepitu turbatus tuo, ne audire quidèm queo. Sed pergite jàm nunc.

Pog.

Pog. Aurum Here (metallum præstantissimum & optimè de repub: meritũ) è vinclis, è carcere, è custodiâ avarissimorũ hominũ liberemus ingenio, viribusq; nostris: Tùm Genio suavitèr indulgeamus, corda refocillemus applicatione vini (quod est cos Fortitudinis) mandibulas etiàm exerceamus, oportet, ne rubigo eas inficiat. Quid tu ad ista, qui palatum habes sapiens, & ventrem sesquipedalem?

Tyr. Tui dentes edentes semper sunt, & lingua lingens perpetuò: meus venter vento satur est, haud vino: sed dicito quæsumus, bonâ fide, quandò fur futurus es, numquid non crucem metuis?

Pog. Cur metuerem? Moriendum est omnibus semel.

Tyr. At ignominiosum est pendere in patibulo.

Pog. Certè Alexandro, Cæsari, Pompeio, & hujusmodi, qui ex vulgi opinione veram gloriam metiuntur: mea verò nobilitas (quæ non famâ sed

 virtute

virtute fundata est) nulla maculari potest ignominia.

Crob. Quæso *Cæsar*, compesce *Tribunos plebis*. Inter se dimicant.

Tyr. Heroicos certè geris animos: & dignos vel altissimo gradu in sublimitate crucis.

Pog. Ego nihil duco sordidius, quàm in lectulo expirare, & tanquàm in tenebris: splendidius enim est palam in conspectu civium, in coronâ & consessu spectatorum, quàm in angulo quopiàm mori inglorium.

Tyr. Pulchrè Philosopharis: corona solùm, & Iudices desunt.

Pog. Is verò diviniùs moritur, qui evehitur in altum, & ab hac terrenâ fæce segregatus affinis cœli fit: anima enim ejus minus viæ conficiet, dùm in æthera volat.

Tyr. Mihi vero non placet hoc altum sapere. Nàm quid si ad inferos deprimenda sit anima, non eo longiùs restabit iter? Sed experire si lubet: tibi si satis succedat, sequar & ego.

Cro.

Cro. Ædilium famuli plus poſſunt quam tota Equitum cohors.

Pog. Tu puſilli es ſpiritus, nec habes in te nobilem hunc ſanguinem. Tentabo te in rebus facilioribus. Vis mecum aleâ ludere pauliſpèr?

Tyr. Alia mihi curanda ſunt. Sed undè tibi quod pignores? Vel obulum ego unum præponerem & corpori & animæ tuæ.

Cro. Itane? Rectè. Sed quid ſi hæc nolit hunc Amore ficto fallere? At faciet, quia me diligit Amore vero, nec alitèr me, vel libertatem adipiſci poteſt. At quid ſi iſte vel nolit, vel non poſſit tot nummos aureos dare? Vah, meticuloſus es. Poteſt optime: nec dubium eſt quin velit, cùm in iſtâ vitam ſuam poſitam putet. At ſi hìc eam pretio redemerit, quomodò non fient nuptiæ illicò? nimirum, numeratis & acceptis pecunijs, hanc mortuam eſſe ſimulabimus, ſicque hunc & hâc & nummis fraudabimus. Confecta res eſt: decrevit Senatus. *Placet eis*, certum eſt exequi.

Tu:

Tu, Tyrophage, vale.

Tyr. Dij fortunent quod inceptas; ego abeo.

Cro. Eamus, Pogglosse.

Actus Quarta. Scena Secunda.

DROMODOTVS. PARILLVS.

D. NVnc Parille, quod incepimus sedendo, finiamus ambulando, ex quo magis erimus Peripatetici, idque proprijssimâ ratione: nàm motus excitat calorem; calor, qui igneæ naturæ est, partes sublimiores petit, ibique gignit ingenium.

Par. Tùm istoc quidèm opus est, vt aut per motum, aut ad ignem se calefaciat: ità frigidus est Philosophus. Pærtexe quæso, si lubet, quod inchoasti: ego me morigerum & attentum præbebo ut decet.

Dro.

Dro. In hoc igitur contextu noſtro, (*Noſce teipſum*) quoad diſcretam quantitatem plurima; quoad continuam, ponderoſa notanda veniunt. Quædam ex parte Subjecti, quædam ex parte Prædicati. *Cognoſcere* hîc non eſt audire, guſtare, videre, tangere, (nàm iſta ſenſualia ſunt, & omnibus animalibus conveniunt: animalium omninò quatuor ſunt genera, volatilium, natatilium, reptilium, greſſibilium.) Sed cognoſcere, eſt *ſcire rem per cauſas* : (hoc eſt Axioma) at cauſæ ſunt quatuor, quemadmodum ſunt in mundo venti quatuor; & hæ Cauſæ quatuor ſimiles ſunt quatuor primis Qualitatibus; & primæ quatuor qualitates proueniunt à quatuor elementis: Iàm has Quatuor, quaternitates appellant, nonnulli *quadrangulum naturæ*. Natura verò non oritur à ſenſu, Ergò neque Cognitio.

Par. Mehercule ſic videtur. Nàm hujus cognitio prorſus ſine ſenſu eſt.

Dro. Quæritur hic an omnis cauſa

facit

facit ſcire? Reſpondetur, quod non, nàm excipere debes privationem : nàm privatio cauſa & principium eſt per Accidens : nâm abſentia rei rem nullam ſignificat : nàm ideò reijcitur à Prædicamentis : nàm materia prima & forma prima ſunt conſtitutivæ cauſæ, nàm ab iſtis oritur rerum omnium quaſi vivificatio, aut prolificatio quædam.

Par. Certè hæc non ſtolidè, ſed ſolidè diſputas.

Dro. Præterea cognoſcere, non eſt fluere phraſibus, & habere *tot quot verborum*; ſed complecti rem completè & totalitèr intus, & in cute, cùm omnibus *ſubſiſtentijs*, & *inhærentijs*. Precipis iſta? Ha? Spero, non ſuperant captum tuum.

Par. Facis clariſſimè jàm vt ſciam, quæ neſciebam priùs.

Dro. Quod efficit tale, illud ipſum eſt magis tale. Puer hic glaucos habens oculos, vultum clarum, auriculas tenues, labra non groſſa, ex phyſnomiæ regulis ingenioſus & valde diſciplinabilis

nabilis putandus est. Nam sicut ex urinâ cognoscitur morbus, sic ex vultu mens ipsa. Et quemadmodum humor dominans in corpore manifestat se ex evaporatione per poros, & meatus, sic illud intellectuale primogenium facit apparentiam in facie.

Par. Si itâ sit (doctissime Magister) optima mei cognoscendi ratio est, vultum ut meum spectem in speculo vitreo quotidiè, sicut facit Soror mea. Annon? Quæso dic mihi.

Dro. Profectò arguit argutè. Tuum non est opponere, Parille: Attende jàm quæ sequuntur.

Par. Expecto cupidissimè sapientiam tuam avidis auribus.

Dro. Quoniàm ergò, quod ad cognoscendum attinet, congregavi ejus homogenea & disgregavi heterogenea, nunc quid es tu? Nùm caro? nùm sanguis? nùm corpus animatum? Nequaquàm. Nàm, exempli gratiâ, cùm ego me dico doctum esse, non intelligo crassitiem istam corpoream, non hoc animal

gradiens, bipes, implume(nàm *capo potest* esse hujusmodi) sed formam meam essentialem, quæ sola dat Esse, sed partem eam, quæ dicitur *νῦς*, hæc est cognoscenda tibi, cum omni potentiâ & entelechiâ ejus.

Par. Nunquàm credidissem tanta istis sub verbis latitâsse mysteria, nisi te audijssem hodiè.

Dro. Sed hìc etiàm aliud solvendum est dubium, *Socrates currit*, *Socrates non currit*, in istis duobus contradicentibus non ponitur Socrates pro animâ Socratis: Nàm anima non movetur localitèr. Sed dicendum est impropriè hoc dici, Socrates currit: Nàm currit quidèm, ut animal est, non autèm vt Socrates. Sed de hisce pro nunc: Videbis posteà.

Par. Ne *Apollo* ipse (cujus hoc erat præceptum) patefecisset ista diviniùs nobis; cujus te summum credo Vatem esse, ità eadem loqueris, quæ ipse (si adesset) loqueretur.

Dro. Video inesse menti tuæ igneum quen-

quendam vigorem, ità judicium das purum & discretum. Nàm defendam hoc adversus omnes, si *Apollo* conscripsisset Commentarios, in quibus de istis disputaret adamussim, non potuisset hoc dictum ab eo brevitèr & implicitè, explicitè & largè enodare alitèr quam ego, salvâ Philosophiâ.

Par. Saltèm nunquàm responderet istis rationibus tuis.

Dro. Habeo ego in hâc causâ sylvam Syllogismorum. Quare dicam audactèr; Veniat qui volet.

Par. Noster Pedantius non solebat isto modo rationes colligere ex *Sylvâ Synonymorum*, aut *Floribus Poëtarum.*

Dro. Ille tecum in punctis Gramaticalibus, in Nominativo, Ablativo, & Verbo nugatur quotidiè. Ego te jàm altiùs ad Philosophiam, tanquàm ad Polum Arcticum elevabo. Nàm *ibi incipit Ratiocinatio, vbi desinit declinatio.* Sed hæc jàm sufficiant: nàm omnis saturatio mala, Syllogismorum verò pessima. Eamus.

Actus Quartus. Scena Tertia.

PEDANTIVS. LVDIO.

FErte opem populares, subvenite mortales, & immortales. Itan' illudj politioris literaturæ professorem? Quâ in repub. vivimus? Cujus hominis fides imploranda? Qui questus, qui mæror dignus inveniri calamitate nostrâ potest? Minos & Rhadamanthus vtinàm reviviscerent, (nàm cœteri Dij omnes nectar bibunt otiosi, dùm ego, dùm ego Orator eorum opprimor injurijs:) Audi *Minos, minis* spoliatus sum simul viginti per fraudem. Facinus indignum! Persuasit mihi fœlicem fore me. Sed ô Solon, Solon, tuum erat illud, *Ante obitum nemo*——.

Lud. Quod si tu ipse jàm per aliquot dies Iupiter esses, credo sic non evaderet fulmen tuum.

Ped.

Ped. Si ille mea vice Pedantius eſſet, ego niſi ejus injurias ulciſcerer, brevi tempore inermis forem. Quin ſi vel Rex eſſem ad tempus, ut haberem cùm Regibus *longas manus*, iſtum ego peſtilentiſſimum latronem reperirem & raperem, ruerem, proſternerem. Vbi, vbi eſt? Nunc quoniàm (vt nôſti) Orator ſum, quid ſi in hunc turbulentiſſimum civem Philippicas nonnullas conſcribam, ad imitationem Ciceronis, & Demoſthenis: nàm nemo reipub. inimicus, qui non idem mihi bellum indixerit.

Lud. Tùm verò magis hominem affligeres, quàm vel Iupiter ipſe poteſt. Sed, obſecro, ne ſævi tantoperè, Caduca fuerunt illa & fluxa bona, & (ut ipſe loqui ſoles Præceptor) contemnenda.

Ped. Næ hic verè proprio me gladio jugulat. Non id doleo, nummis me meis defraudarier, quatenus quidem homo ſum, ſed quià doctus. Hos enìm ſpoliare, eſt aperire feneſtram ad omnem nequitiam.

In-

Intrant Tuſcidilla, Lydia.

Lud. Sed cohibe, quæſo, iſtas querimonias: ego reddam tibi divitias tuas: hèm illas tibi. Nihil harum te ora vultuſque moverunt?

Ped. Video, & taceo: ſunt, & non ſunt divitiæ noſtræ. Contemnit Lydia locupletiſſimũ Amorem meum: tamen (vt fatear quod res eſt) poſtquàm aſpexi hanc, ità ſum recreatus, vt mihi Deus aliquis feciſſe medicinam videatur. Age, loquere, vt te videam.

Actus Quartus. Scena Quarta.

TVSCIDILLA. LYDIA.
LVDIO. PEDANTIVS.

T. SIc eſt, ut dixi, mea Lydia, ſervus hic, inops & pecuniæ & ingenij:

ingenij: ille alter ſapiens & honorabilis: nè negligas.

Lyd. Et ego certè Pedantium hunc, etſi rejeci ſæpè (quod ſolemus omnes, ubi amamus plurimùm) tamèn exoſa ſum nunquàm profectò.

Lud. Arrige aures: audin' quæ loquuntur? Vltrò te appetit, ſed auſculta: noli tu nunc, ubi illa demùm vult; ſic par pari referes, quod eam mordeat.

Ped. Ignave, non tu nôſti legem *Talionis* damnatum eſſe à Philoſophis? Quin ſi adhuc eam poſſum adipiſcier, ſi quidèm herclè mihi regnum detur, nunquàm id priùs perſequar.

Lyd. Sed metuo malè, ne (cum repulſam toties tùlerit) jàm demùm frigeat totus.

Ped. Frigeat? Quod Dij Deæq; omen avertant! Abrumpe moras Pedanti, pòſt eſt occaſia calva; Vix adhuc frigeo, ac ne vix quidèm, imò potiùs incaleſco plus ſatis magis magiſque.

Lyd. Credo te hic excubias agere

perpetuò,

perpetuò, ſic ſemper occurris mihi.

Ped. Frequens hic conſpectus tuus mihi multò jucundiſſimus, hic autèm locus ad agendũ ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus (Lydia:) & ſicut corvos cadaver, ſic me attrahit odor ſuavitatis tuæ. Vultu tuo ventilor, tanquàm flabello ſeditionis; tuis in oculis, ac (ſi fas ſit dicere) in oſculis etiam lubens habitarem perpetuò. Te *per mare per terras per tot diſcrimina rerum* ad Indiam uſque (vbi cum *Gymnoſophiſtis* diſputarem) vel ad Cataiam (quæ novus orbus dicitur) ſequerer, certè comes in via facundus, & (tuâ præfatâ veniâ, ſi lubet, experiri) certè nuptijs non alitèr fæcundus. Enimvero poſſides tu me & totum me cum membris & membranis omnibus: tibi me (ô Muſa melliflua) do, dono, dedo, dico, conſecro, & macto etiàm ad aram clementiæ tuæ. Itaque exiguum munus cùm dat tibi pauper amicus, accipito placidè, plenè, & laudare memento.

Tuſ.

Tus. Testor meam muliebrem honestatem (quam feci sempèr plurimi) non audivisse me unquàm, quem cùm isto possis comparare.

Lyd. Tu imperita es Tuscidilla, nec nôsti doctorum technas.

Ped. Quià video te fraudes suspicari, altiùs paulô ista repetam. Cùm aulicarum rerum laboribus, senatorijsque muneribus essem aliquandò liberatus, aut omninò, aut maximâ parte, retuli me (te revocante, maximè) ad ista studia, quæ plenissima sunt amoris, non inania voluptatis. Tu es illa parvula piscicula, (*Remora* mea) quæ me ad aulam regiam velis (quod aiunt) remisque properantem consistere coëgisti: tumque Amor meus (tanquàm Socratis Dæmon) insusurravit mihi, futurũ aliquandò, vt, sicut *gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo*, sic ego nullis quidèm meis meritis (nàm non audeò id dicere) tamèn imbribus importunitatis emollirem morositatem tuam. Quapropter, vel nunc saltèm (quià nun-

nunquàm ſera eſt ad bonos mores via) precor, canas palinodiam, ſapias ad extremum, & tanquàm caneſcas in ſenectute. Scio omne pulchrum (cujuſmodi tu es) eſſe difficile. Sed, nil tàm difficile eſt, quod non ſolertia vincat, ſum autèm (ut vides) ſolertiſſimus: redama me igitur.

Lud. Quin ſi cognoſceres tu, quàm multæ, quàm bellæ ſint in aulâ quæ iſtum appetant virgines (vel fœminæ potius) non ſineres (credo) tam dulcem bolum eripi tibi è faucibus: Concurrebant omnes undique iſtam tanquàm Popam aliquam ſpectaturæ.

Ped. Tu audes agere geſtum, ſpectante Roſcio? Sine me iſta narrare, quibus ego non interfui ſolùm, verùm etiàm præfui. Me (dùm in curiâ verſabar) prætereuntem demonſtrabant omnes digito, inſuſurrantes, *Hic eſt ille*, (quod niſi Demoſtheni olìm contigit mortalium nemini) Et venuſtate noſtrâ fœminæ forenſes captæ ſunt, tanquàm piſces hamo. Sed in medio tot Harpy-

arum

arum honestatem intereà costodivi tamèn sartam tectam; quippe qui responderim singulis, voluptatem corporis esse belluinam. Ecce verò jàm hoc tibi offero munusculum levidense; limpidissima Lydia.

Tus. Mihi huic per omnia similem maritum Dij.

Ped. Gratissima mihi hæc est benevolentia tua; quarè gratias ago, habeo semper, referam aliquandò. Aptè mihi videor ista tria distinxisse. Sed non omnibus dormio: huic habeo, non tibi.

Lyd. Quid attinet reprimere diutius quod nequit celari? Ego te (mi Pedanti) jàm diù quidèm amavi plurimùm: sed, ut tuam certiùs fidem experirer, non ausa sum id profiteri. Nunc cùm te tentaverim satis, gaude, habe, accipe tuam tibi.

Ped. O aureum flumen orationis! Hæc est certè melle dulcior oratio, (quod de Nestore suo cecinit Homerus) dies hic est festus, & niveo signandus lapillo: Tibi gratulor, mihi gaudeo.

Conjugati nunc erimus nos duo sub eodem jugo conjugij, nam Lydia virgo habebit *Lydium lapidem* (sic enim me nominabant olìm Academici, propter sincerissimam normam judicij) Iàmque juro tibi per tuam virginitatem (cui me pluribus nominibus devinctum video) non igne, non aquâ, non aëre, non terrâ, non cælo me pluribus locis vsurum, quàm nostrâ amicitiâ. Næ tu nunc verè virgo Vestalis es; non quià vestibus induta, sed quià sanctissimum hunc ignem pectoralem amoris mei foves & refocillas.

Lyd. Tibi quod gratum est, mihi & idem est gratissimum.

Ped. Elegantèr, ut omnia; tres Gratiæ sunt in labellis, & videor mihi ore tuo non *Mussas*, sed *Musas* loquentes audire: anhelitus tuus est aurum patabile: Te dùm fruor, in campis sum Elysijs: Caro tua remedium est contra morsus aspidis (videlicet amoris mei:) Denique (ut contraham omnia in compendium, seu epitomen,) tu es ac-

accumulatiſſima quædam *Cornucopia* mea. Quare non dicam, (ut Pamphilus ille Terentianus) valeant, ſed certè pereant, qui inter nos diſſidium volunt.

Tuſ. Sic geſtio præ lætitiâ, ut vix ſim apud me. Vos Venus & Iuno maturate hoc matrimonium.

Lud. Aliquid & mihi ex hac re lucri cõtigit. Nàm hæc virguncula mitigabit (vti ſpero) non nihil iſtius in virgis & plagis validam valdè virilitatem, & matrum noſtrarum minuet querelas contra ſeveritatem ejus.

Lyd. Ego, ut hoc homine repudiato inertiſſimum illum Crobolum eligerem, Nunquàm faciam. *Ad corvos* ? *Crobole.*

Ped. Hoc quidèm eſſet *ab equis ad aſinos* (ut dicitur.) Itaque (ſi me amas) illud putridum brutum deteſtari debes odio pluſquam Vatiniano. Eſſes cùm eo *Culinaris*, mecum eris *Curialis*. Vtrum horum mavis, accipe.

Lyd. Ego niſi te, volo neminem; ſine quo vitam mihi acerbam ducam.

Ped. Ergò quoniàm mora trahit periculum (juxta regulam vulgarem) perfice hæc protinùs—*Semper acerbæ ſunt in Amore moræ.* (more, more, Echo reſonat in voce vltimâ.)

Lyd. Parvula quædam reſtat nobis iſta in re difficultas. Nam ſenex hic intùs decrepitus Charendas, niſi minas accipiat triginta, liberam me non dimittet.

Ped. Papæ! jugulaſti hominem. Triginta? Hunc ſolve nodum. Iàm animus eſt in dubio; ſcrupulus hic me malè habet. Sed nunquid Triginta?

Lyd. Triginta, nec obolo minùs. Nunquid tu Lydiam tuam minoris eſtimares?

Ped. Imo pluris. Sed tibi darem potius quam illi ſilicernio, qui *cernit ſilices* decrepitus carnifex. Hum triginta. Vnde?

Lyd. Magna certè res agitur: non ſolet iſte ita diu deliberare, quicquid eſt benè coctum dabit.

Ped. Homines omnes quicunque quale-

qualescunque sint, interrogat nunc Pedantius, numquis authores omnis generis exactissimos, Græcos, Latinos; veteres, neotericos coemere velint hodie. Hos cùm satis jàm superque ad contemplativum usum legendo, scribendo, commentando ornaverim, & annotationibus marginalibus tanquam gemmis aut stellis deauraverim, placet nunc ad activum finem referre. At nullus est præstantior actus, quam hoc ipsum nubere: hoc nummis effici potest, arte non potest. Asinus onustus auro, vel arces ipsas expugnabit, & ego (si magna parvis componere licet) hanc ut adipiscar, pecunijs meis impedimenta omnia removebo: dabuntur seni (coniux mea) quæ vult.

Lyd. Tum ego dabo tibi me in perpetuum, Pedanti.

Lud. Liceat quæso (suavissima Domina) unum quoddam minutum à te petere, ut quoniàm Herum hunc meum (planè herca ac semideum) ità jàm violentèr amas, dignetur etiàm bonitas tua

me quoque pusillum ejus quasi appendicem, ipsiusque vmbram diligere pauxillum.

Ped. Quem ego adventantem procùl conspicor? Cogor hic finem imponere ex abrupto. Pecuniam istam (mea conjux) parabo sine morâ. Tu, Ludio, responde huic me non esse domi.

Lud. Quid tàm præcipitantèr à nobis avolat? Ego experiar, quid fiet. Vos introite, valete.

Actus Quartus. Scena Quinta.

GILBERTUS. LUDIO.

G. NEqueo, quod quæro, invenire nomen; ità multi in hoc codice meo incarcerati continentur, ut singulis distinctas sedes seorsim tribuere nequeam: sed nunquàm desistam donec invenero, quem volo.

Hic

Hîc jàm fortè fortuitò incidi in alium—Cro. Crob. (quem oportet etiàm convenire) amatorem scilicet lepidum, astutum carnificem *Crobolum*, qui meâ ex officinâ totus jàm splendet. Augebo numeros pretij, nisi solvat brevj. At iste garrulus, nitidus, gracilis, splendidè vestitus (sed meo sumptu) vbi demum latitat? Pe. Pe. Pe. (pereat male) *Pedantius*. Tandèm reperi. Nunc si possim convenire hominem aptè, dabit mihi pœnas illicò, efficiam ut legat hunc paulisper librum Characteribus insignitum pulcherrimis. O quàm turgent lineæ gravidæ. Verte folium.

Lud. At ego te memoritèr hodie (ne inspecto quidèm unquàm libro) ludam, ut libitum erit.

Gil. Adhuc plura. Item Panni nigri optimi vlnæ septem, cum di: qua: Item, Holoserici trium pilorum vlnæ tres, & di. Item Setini ulnæ quatuor. At at de *Setino* addenda est figuræ binariæ cauda, ut fiat ternaria; Textus meus est difficillimus solutu: hic

demum griphi ſunt, & Crocodolites: Meus liber devorat iſtos Academicos libros & in nihilum redigit. Nàm ego nuper in Academia cùm artem exercerem iſtam, potui unico hoc meo authores reliquos quoſcunque illorum refutare, ſedibuſque ſuis deturbare.

Lud. Hic cò venit, quantum conijcio, bibliothecam univerſam Pedantij noſtrj ut expugnet & auferat. Sed ego me hujus opponam furori, quaſi aggerem aut turrim aliquam advorſum in via.

Gil. Ex omnibus debitoribus noſtris nulli ſunt tàm Periuri, quàm Scholares iſti: qui (freti fallacijs ſuis) non curant Argumenta noſtra etiàm *ab authoritate*. Nos ex ſingulari noſtro Amore, & mero motu miſericordiæ permittimus, ut in hoc Regiſtrum & penetrale noſtrum veniant, ſicque auferunt à nobis non ſolùm laneos pannos præſtantiſſimos, ſed etàm veſtes bombicinas & ſericas, ſericum Damaſcenum, ſericum raſum, ſericum villoſum,

&

& denique quid non? Namque ita lautè vestiti incedunt, ac si essent generosi *Templarij*. Sed non pretium est persolvendum, subducunt se callidè. Si pultemus cubiculi fores, respondent, se non esse intus, curant se abesse peregrè, aut imperiosè denegant. Quis tu es? Quid mihi tecum? *Non sum, non possum, non libet esse domi.* Tùm, nè à nobis conspiciantur, clàm per posticum & angiportus quosque subrepunt quasi mures. Quòd si fortè inopinantes nobis in plateâ occurrerint, tanquàm si lupum vidissent, ne unum proloqui verbum possunt. Eorum unus nuper mihi roganti debitum, Quid opus, inquit, est tanta importunitate? *Ampliùs deliberandum censeo.* Quid suspiciosè me insectaris? Non sum fugitivus; Vos oppidani nos Academicos viperino mordetis morsu. Sed eccum perconmodè puerulum debitoris mej.

Lud. Nemo præceptorem exeuntem istuc vidit quisquam meum? Miror quò abierit: Adest intus qui præstolatur

eum, a Rege nuncius cùm nummis multis, ijſque aureis, quem ut reperiam anhelando, ſudando, ſuccum hujus corpuſculi profundam certè univerſum ſimul.

Gil. Vah, conſilium validum, ſæpe ego, iſtuc veniens, talibus illuſus ſum dolis. Siſte gradum puer: ſcio ego, quem quæris, ubi eſt.

Lud. Dicas igitur ſtatim, obſecro: moleſtus es iſtac morâ.

Gil. Converte te iſtuc, quin iſtac inquam. In illis eſt ædibus.

Lud. Dic, quod rogo. Scio enim hîc habitare: Ludis me igitur quiſquis es. Vbi jàm eſt?

Gil. Nec tu nôſti, obſecro? Quàm aſtutè ſimulat ſimia!

Lud. Novi certè quodammadò, ſcilicet hominem eſſe, te non truncum, non lapidem, non lutum, non brutum (niſi forte ſis *Oppidanus*) neque vero fœminam, ut ſuſpicor, nec puerum, niſi moribus fortaſſè.

Gil. O puerum caſtigandum! Ob-

ſerva

ſerva me dilgentiùs paulò. Nec dùm nôſti ?

Lud. Non es certè peregrinus (nàm ocreatus non es) nec doctus (novi enim clariſſimè quoſque doctos.) Dic igitur quis es ?

Gil. Imò doctus ſum. Non vides librum hunc ? Volumen magni pretij.

Lud. Nugari hîc mihi tecum non eſt otium : apage te.

Gil. Nec meminiſti caligas iſtas undè acceperis ? Adhuc haud emptæ ſunt: nam pretium non eſt ſolutum.

Lud. O! credo me ſomniaſſe jàm diù. Videon, ego mercatorem noſtrum pannarium? Salvere te jubeo oppidanorum noſtrorum, qui ſunt, quique fuerunt, omnium optime-maxime. Quæſo igitur per tuam honeſtatem, quæ non ſolet quenquam fallere, (niſi credentes, aut debentes) mitte jocos hos, & dicas tandèm ſeriò ubi eſt Pedantius meus ?

Gil. Hic eſt, vide. Hac in paginâ cubat : & nimium diu recubavit.

Lud. Exeitemus eum. Ho Præceptor

tor expergiſcere, ſurge Domine, fures in nos irruunt.

Gil. Vtinàm adeſſet, te caſtigaret; aut ego illum caſtigarem probè.

Lud. Tuas verò caſtigationes in Ciceronem? Non convenit.

Gil. Relinque tandèm iſta pucrilia: abi, inveſtiga præceptorem: ego interim intus eum domi veſtræ præſtolabor vnà cùm illo nuncio, qui nummos attulit.

Lud. Mane, quæſo, ne facias. Regius ille, quem dixi, nuncius clàm venit, nec vult a quopiam ſe conſpicarier: ſi placet itàque tu ipſe quæſitum hunc abeas: ego defeſſus quieſcam intereà.

Gil. Video jàm alio redeundum eſſe tempore. Sed non multum hoc auferet. Litera ſcripta manet. Faciam ut hujus laboris mei fraudiſque ſuæ pœniteat eum.

Lud. Nunc poſtquam hic abierit, quid non & ego abeo?

Actus

Actus Quintus. Scena Prima.

PEDANTIVS. BLETVS.

P. VBi, vbi ille ſceleſtus eſt qui me fugavit modò? Nemo virûm me timuiſſe cum putet. Quin utinàm daretur jàm rurſus mihi, quam ego illum conſtantèr & ſobriè refutarem? Sed prætermittam ea omnia, quæ de illo flocci vendulo flocci faciendo exactore pannario dici poſſent: alius erit narrandi locus. Accedo ad rem. Tu Blete (cui ineſſe debet & fides & prudentia, cùm jàm adultior ſies) agas, quæ agenda præcepi, fidelìtèr.

Ble. Si ſuſpectam habes honeſtatem meam, habi tibe rurſus nummos tuos, ſcias me ex eâ ſtirpe, & ijs majoribus prognatum eſſe, quorum nemo unquàm repertus fallax eſt.

Ped. Vide quid ſit eſſe ruſticum. Ego Orator parùm vehemens, dulcis

tamèn,

tamèn, volui te currentem incitare calcaribus verborum, ſuſpicax non ſum, tùm quià mihi verè generoſa mens eſt, tùm quià te Amo.

Ble. Et ego te ſic Amo viciſſim, ut vel mille mīnas tuas per univerſum terrarum orbem nudis pedibus deportarem, ſi juberes.

Ped. Sed non jubeo. Nunc (ut eò revertamur, undè deflexit oratio) dicas prætereà Lydiæ, eſſe apud me acervos magnos & multos auri; tanquàm tritici, & dicas audactèr interpoſito (ſi opus ſit) juramento. Nàm nihil tàm incredibile, quin dicendo fiat probabile.

Ble. Et addam etiàm te totum eſſe aureum, intùs & extùs. Ego tibi incredibilitèr obſequens ero.

Ped. Imò partìm aureum, partìm carneum eſſe dicas. Nàm ſi mihi nupſerit, nec habebit aurum ſine viro, nec virum ſine auro (juxta *Themiſtocleam* illud.) Hos inſupèr tradas ei aureos & altitonantes verſus, feſtinanti quidèm calamo conſcriptos: ſed è quibus intelligere

telligere possit Musas meas non esse mutas, sed nostras Camœnas amænas: audi: *Vnam semper Amo, cujus non non solvor ab hamo: ô Deus in quantis* (hic subaudi vel curis, vel gaudijs) *animus versatur amantis.* Reliquos taceo, secreta enim non enarranda continent. Et simul cùm aureis tradas ej hunc aureum Annulum, cui emblema insculptum est, *Cor sagittâ transfixũ*, cùm hoc dicto. *Venus Venatrix.* scilicet Venus Lydia est, Sagitta Amor, Cervus Cor meum. Et simul cum Annulo apporta hæc carmina Commentarij loco:

Cõpede cõstrictus, teloq; Cupidinis ictus
En tuus est Cicero; Tu fer opẽ misero.

Ble. Profectò carmina verè Aurea, & plus quam Ovidiana, si è silice nata sit, tamen hæc legendo Tibi in amore obsecundabit. Dato jàm eos mihi: nunquid aliud vis?

Ped. Vt peragas ista fidelitèr.

Ble. Quasi istoc opus sit hortatu.

Ped. Et prudentèr.

Ble,

Ble. Obtundis intelligo ſatis.

Ped. Et honeſtè.

Ble. Nimis monendo immemorem facis.

Ped. Pecunias illas & Annulum nulli mortali des, niſi Lydiæ meæ.

Ble. Scio. Nec puto immortales ullos à me eas rogaturos.

Ped. Vidè ne obliviſcare; Lydiæ des inquam, ipſi Lydiæ in manus.

Ble. Memini, vale.

Ped. Mane. Memento etiàm, ut revertare denuò.

Ble. Putaſne me abiturum fugâ?

Ped. Memineris fidem eſſe præſtantiſſimam virtutem: quæ inde nomen habet quia per eam *fit quod dicitur*.

Ble. Fiet per me, quod per te jàm dicitur.

Ped. Agas igitur in hac cauſâ meâ ſincerè, ſimpliciter, integerrimè, perfectè, adeoque verè. Tu fortaſſè putas hìc tautologiam, ſeu battologiam eſſe in ſermone meo: ſed erras. Nàm hæc plurima collecta ſynonyma apertiùs de-

demonstrant quid velim; *Iam faveat cœptis aura secunda meis.*

Ble. Abeo, trado, redeo.

Ped. Nunc quoniam vacat, dum iste revertitur, ut occultetur quid conor, ad prælegendi me munus personamque revocabo. Parille, Parille, exito.

Actus Quintus. Scena Secunda.

PARILLVS. PEDANTIVS.

Par. HEm tun' hìc eras, Præceptor venerande? Quid me vis?

Ped. Parille mi, optime spei adolescens, volo jàm ut prælectioni nostræ vaces aliquantisper: orationem enìm Latinam audiendo nos efficies pleniorem.

Par. Malè mihi sit, si quicquam

malim

malim: beasti me istoc verbo, nàmque unum hoc in votis erat jàm diù, instrui ut possem præceptis institutisque tuis.

Ped. Proponam, quod erit & ætati tuæ aptissimum, & authoritati meæ. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Seriò irascor *Iuvenali*, qui Poëticam Ciceronis facultatem non laudibus, sed sannis persequitur. In aureo hoc versiculo vnumquodque verbum est sanè efficacissimum, & ità gravidum pregnansque significationibus, ut erat equus Trojanus principibus Græciæ. De quibus singulis possem dicere mysticè, & tropicè, & anagogicè, & moralitèr; verùm nunc agam pingui Minervâ, pro modulo capacitatis tuæ.

Par. Expectate plaustrum ineptiarum, vincet hic opinionem vestram. Mihi summa simulanda diligentia est.

Ped. Primùm (*cedant*) est vocabulum violentum, & debet pronunciari emphaticῶs, cùm majestate, aptum est imprimis ad stilum grandem ac Imperatorium, & ab hoc tanquàm à radice (ut

(ut loquuntur Hebræi) derivantur verba plurima, *accedant*, *recedant*, *abſcedant*, *diſcedant*, *ſecedant*, & his ſimilia: ſignificat autem tantum, ac ſi dicerem, *cedant*, vel ſi quid cogitari poſſit ſublimius.

Par. Cùm videam eum tantopere moveri, ego expediam; Valet idem quod *dare locum*: annon?

Ped. Id ego idem volui, ſed geſtu hoc potius exprimendum putavi quàm verbis. Proximum vocabulum (*arma*) licet deſinit in A, non eſt tamèn (quod dignum notatu èſt) fœminini generis, ſed neutrius: Vndè Virgilius, *Arma virumque cano*: & habet in ſingulari (ni fallor) prorſus hîc hæreo; ſed dicam tamèn audactèr & magiſtralitèr; meâ quidem ſententiâ (ſi benè memini) *hoc armum*. Quid dicam? ha!

Par. Infauſtum herclè hoc verbum eſt, quo jàm hic à tranquilla pace miras in turbas conijcitur.

Ped. Sed potius (nàm antè lapſus erat linguæ) quod magis credo, & ut

ut placet plerisque, nullum habet singularem numerum omninò.

Par. Certè non memini audivisse me unquàm *armum* in singulari, sed nunc deinceps (tua fretus authoritate) vsurpabo: sic etiàm & reprehensoribus respondebo, *Ipse dixit*.

Ped. Est interdùm apud priscos Grammaticos, sed raró aut nunquàm. Tu veró primum me, deinde Ciceronem quasi puriores Latinitatis authores sequaris, ut te omnes Pedantij discipulum possint agnoscere: odi enim ego omnem incongruitatem.

Par. Non ego tui vel minutissimam particulam ingenij unquàm potero imitatione vel assidua assequi: Ita superat multis gradibus excellentia tua cœterorum omnium mediocritatem.

Ped. Ne desperes, Parille, Labor improbus omnia vincit. Vbi *improbus* capitur (ut vides) in bonam partem. Nos doctissimi habuimus etiàm (sicut nunc tu,) infantiam nostram. Sed ad ea quæ in manibus habemus: verbum tertium

tertium, vel potius vox tertia (*togæ*) est fœminini generis sine omni controversiâ. Ratio autem hæc est, quià omnes fœminæ togatæ sunt. *Concedat*, idem est quod *cedat*, nisi quod addatur syllaba una ad complementũ carminis *con*: videlicet (*videlicet* autèm est, ac si dicerem, *videre licet*.) *Laurea & lingua* sunt etiàm fœminini generis, sed lingua potissimum. Eho perstrinxi fœminas omnes, præter meã Lydiam. Sed de his singulis (quia nolo ijs diutiùs immorari) quære *Callepinum* qui vobis est *Calliope*, sive inter Musas pulcherrima.

Par. Si ille mihi non satisfecerit, te consulam denuò.

Ped. Adde quod hoc in loco etiâm figura quædam est Rhetòrica (cuius nomen jàm mihi non occurrit) nempe cùm unum ponitur pro altero.

Par. Annon synechdoche? vel potiùs Metonymia?

Ped. Rectè. Toga enim est Insigne gravitatis, & apud Romanos, (ut testantur historiæ) multæ erunt togæ; sicut

ſicut etiàm colligitur ex hemiſtichio hoc Maronis, *Gentemque togatam.* Inde nos Magiſtri ſumus omnes togati & pileati, quia Romanos antiquos Latinitate imitamur, imò ſuperamus. Notandum etiàm eſt, hæc legi à pleriſq; ſic, *concedat laurea laudi*, non autèm linguæ: ſed eundem in finem iſta recidunt. Nàm, quià omnis laus in lingua conſiſtit (nempè quatenus vel laudat, vel laudatur) ponitur interdum Metonymicè *Laus pro linguâ.* Hæc Grammaticalitèr ad verbum, nunc Philoſophicè ad ſenſum, ſed paucis, & paraphraſticè.

Pra. Me habebis attentiſſimum; admiror enìm elegantias tuas.

Ped. Optimè, ſic enìm eris ingenij noſtri partus aureus: *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Quaſi dicerem, cedant Imperatores bellici Pædagogis pacificis: cedant bombardæ horriſonæ fulminibus forenſibus: cedant fures omnes & oppidani nobis literatis, qui ſumus oculi reipublicæ. Tùm toga eſt prior *tempore*: nàm

nemo

nemo aptus est ad arma, antequam togam virilem sumpserit, & *naturâ*, nam arma sunt violenta: omne autèm violentum est contra naturam: & *honore*, nàm suscipiuntur arma, ut in pace vivatur. At pax & toga confunduntur. denique & *ordine*, nàm ordo Senatorius Togatorum est. Ergò (ut hoc Epiphonemate tanquam sigillo claudam omninia) *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

Par. Moriar, si te quisquam esse possit copiosior.

Ped. Copia mea deterret sanos homines à scribendo: sed vnum addo, laurus, vel laurea dicitur tanquàm *laudea*. Vnde laude digni sunt laureati, vel lauriferi, ut Poetæ, ac inde dicti Bacchalaurei, quorum laureatissimi si mecum linguâ conferantur, eos ego Oceano orationis meæ ità madidos reddam, ut erat Marcellus ille, quandò perijt in mari. Tu Parille cave hoc naufragium.

Actus

Actus Quintus. Scena Tertia.

GILBERTVS. PEDANTIVS. PARILLVS.

Gil. SAlutis impertio tibi plurimum, venerabilis magister Pedanti.

Ped. Salutis? Minimè verò. Quid agam, Quo fugiam, Quo me vertam, Patres Conscripti?

Gil. Quid? Ne respicere quidèm soles, qui te salutant?

Ped. Amicissime Gilberte noster, quæso ignosce, quod te neglexerim, cùm hercle non noverim. Cur tu ità rarò ad nos peregrinus jàm his in locis & hospes es (in quo quidèm irascor tibi) vel etiàm *hostis*, nàm hoc erat nomen hospitis apud antiquos olìm Romanos, ut testatur Cicero in Officijs. Sanè humanitèr faceres, si sæpiùs nos inviseres. Propino jàm tibi salutem plenis faucibus.

Gil.

Gil. Potes ex codice meo conjicere, quid velim.

Ped. Non quæro, quid velis, mi Gilberte, ſed cur tu in his regionibus tàm inſolens adſis? Perſtrinxi hominem hoc vocabulo facetè. Nam *inſolens* non ſolùm peregrinum ſignificat, ſed ſuperbum etiàm: & hoc ego volui, ſiquidèm me aggreſſus eſt imperioſè admodùm.

Gil. Quoniàm extorquere vis, ſcias me ſæpiùs huc adveniſſe, tecum ut agerem de graviſſimis rationibus: ſemperque luſa opera eſt: itaque nunc certè mirificè gaudeo, præſentem hîc te tandèm contueri.

Ped. Si nihil aliud velis, quàm contueri, à capite ad calcem uſque perluſtra ut lubet, vultum hunc meum, cultumque corporis (à *colo, colis*, non tamen cùm colonus, aut agricola à *colo*) Vox eadem, ſed mens alia.

Gil. Imò aliud eſt quod tua [illegible] pera adferri poteſt amplius.

Ped. Tu jàm i intrò Parille, &

Dromodotum huc, ut ad me exeat, quamprimùm jubeto, si me salvum aut vivum videre velit.

Par. Faciam. Valetudinem tuam cura diligenter, vale. *Exit.*

Gil. Nôsti manum & stylum hunc? Vides subscriptionem? *Hasce merces nomini meo suppositas anno & die præscriptis agnosco Pedantius.*

Ped. O, attende, *Merces suppositas*: hoc est, merces illæ tuæ erant *supposititiæ*, fucatæ, fragiles, futiles, non utiles, non solidæ, non genuinæ. Possem quidem te in jus vocare *de dolo malo*: (Sed ego clementiam semper colui, ut matrem meam) officiorum tertio, *Aquilius* de dolo formulas dedit.

Gil. Imò vere ego neminem metuo *de dolo.* Vendo quales alij solent.

Ped. Subscripsi forte de mercibus, sed non de pretio: nec debui sane. Nam inter ferrei seculi corruptelas recensetur apud Poëtam; *In pretio, pretium nunc est.*

Gil. Doctissime Domine Pedantj, apud

apud me Poetæ non sunt in pretio, sed pecuniæ præ manibus solutæ. Illarum autem mercium ego pretia scripsi profecto quam minutissima. Reliqui pannarij obmurmurabant se per me depauperandos.

Ped. Tu ditior fieres ex eorum paupertate. (Sed vetat hoc regula Catonis.)

Gil. Pannus ille pro togis tuorum discipulorum certè profecto erat quasi donatus.

Ped. *Donatus?* Fuit ille quidem celebris Grammaticus, sed, postquam ego florui, sordet attritus & projectus, quasi pannus vetus & sordidus in sterquilinio. Itaque jàm non laudasti hanc mercem tuam.

Gil. Non laudare jàm volebam mercem, sed pretium exiguum, ità ut verissime dici possit, non digno pretio venditus, sed quasi semi-donatus.

Ped. Oportuit quidem semidonarj. Nam erat *semipannus* (vox hæc nititur exemplo *semicirculi*: & apud Ovid. *Semibovemq; virum, semivirumque bovem.*)

bovem.) Ideo puerorũ meorũ togæ sunt *semilongæ.* (quasi in carmine pes *pyrrhichius*, vel potius *tribrachys.*) Pannus tuus imbre aspersus ita contraxit se, ut novitij Oratores in, vel potius *pro*, Rostris dicturj (nam *Rostra disertus amat*) metu judiciorum, quasi tempestate persusi & perculsi, se solent contrahere.

Gil. Ego pannum non conficio, sed ab alijs confectum vendo. Atqui ex serico illo *Setino*, quod in thoracem emeras, prorsus nihil lucrari statuo. Londinj ad singulas ulnas in pecunijs numeratis constabat—Quid? ha. Errare nolo. S. S. P? Ita, rectè memini. S. S. S. nempe binos coronatos cum dimidio. Ego tantundem hic posui. non obulo plus. Vide, lege.

Ped. S. S P. Mysticè & Characterice, siue hieroglyphicè. Rectè. Quoniam æquum est ut aliquid lucreris ultra sortem (Nam *sorte sua nemo contentus*) ego tibi pro singulis ulnis resoluam lubentissimè & liberalissimè S.P.Q.R.

quod

quod tantundem valet ac *Senatus Populus Què Romanus*, ita te reddam ditiorem ipso *Crasso*, qui cognomine vel cognomento *Dives*. Nam *Pop. Rom.* id est Populus Romanus, qui tot exercitus alebat, erat illo ditior, & habebat in *Capitolio* vel in ærario *Sestertium* nescio quot millena millia. Et ego docebo te computare sestertia ad valores & nomina modernæ pecuniæ.

Gil. Ego nolo æs Romanum, quod non est pecunia currens hodie, neque vnquam cogito capere *Capitolium*.

Ped. Capitolium olim captum est sæpius: primo à Gallis. *Galli per dumos aderant, arcemque tenebant.* Teste Vrgilio. Commemorat autem Cicero meus ali solitos in Capitolio anseres. Hoc animal imbelle est, sed vigil, Testor ipsum Iovem. *Anseris & tutum voce fuisse Iovem.*

Gil. Per Iovem ego nolo ansores tuos. Mitte hæc, legenda discipulis tuis: Lege, quæso, quod me & te attinet, percurre paginam totam. Lege distinctè, si vis, singula.

Ped. Quid? num tu me putas non posse legere?

Gil. Imò etiam intelligere posse scio.

Ped. Revera, legere & non intelligere negligere est. Sed ego libentiùs in libris impressis quam Manuscriptis versari soleo, manu diurnâ nocturnâque. Deinde——videam Codicē tuum. Nonne dicturus eram? Ita est. Quid hoc? quid illud? Certe scribis quasi scalpens gallina. Quis unquam præter te aut Sibyllam legeret? Vah. Facis *literas Iudaicas*. (hoc volo eum esse *Iudæum*.)

Gil. Ignosce vero mihi de scriptione. Nos non sumus scholares.

Ped. Ignosce tu mihi de solutione, Quià *Non omnia possumus omnes.*

Gil. Satis iocatus es, iam non quæro ut legas, sed ut respondeas seriò. Solue quæstionem meam, solvendo debitum libera nomen tuum. Quid respondes?

Ped. Simonides, hum ha, Simonides——.

Gil.

Gil. Nomen, quod ego appello, est *Pedantius*, non *Simonides*. age.

Ped. Simonides in ardua illa quæstione *Hieronis*, deliberandi causâ, unum sibi diem postulavit, postridie vero biduum petijt, & deinceps duplicavit numerum dierum. Haud aliter ego in hac nodosâ interrogatione jàm diù perplexibilitèr contortus cogor à te (qui es alter *Tyrannus Hiero*) aliquot dies ad cogitandum postulare: quià quantò diutiùs considero, tantò mihi res videtur obscurior.

Gil. Ego nihil moror obscuritates tuas. Dic planissimè; numquid non persolvendum putas, quod debes?

Ped. Scitè certè ut omnia meus Cicero; *Est illud animi ingenuj, cuj multum debes, eidem plurimum velle debere*: à cujus ego latere ne latum quidem unguem discedere statuo. Sed tamen Omnia tempus habent: Non semper fulget Phœbus, nec adest semper regina pecunia.

Gil. Oh! cares pecuniâ? At interim ubi fides?

Ped. Non est apud *Pœnos*. Nàm ij sunt fœdifragi. De meâ verò fide tota patria loquitur, loquuntur omnes boni. Sed hoc quidem tempore ultrà posse non est esse.

Gil. At creditores mei satisfieri sibi aliter à me volunt.

Ped. Ah, nè agas mecum ità severè & Stoicè: si scires quantā passa esset dudum carnificinā crumena mea, redigeres, sat scio, in gyrū rationis hanc rigidā & plusquam Catonicam censurā tuam.

Gil. Accepisti à me merces optimas: redde nunc nummos.

Ped. Optimas ab optimo ipse optimus accepi: Concedo omnia.

Gil. Taces autèm de reddendo. Quin igitur optimas optimo persolvas tandèm pecunias. Alioquin non es optimus.

Ped. Nimium es vehemens feroxq; naturâ. Non te pudet sic urgere jacentem? Quod defertur, non aufertur, vix optime. Si quid sit in me honestatis, (quod sciunt omnes non esse exiguum) reddam omnia ante proximum plenilunium.

Gil.

Gil. At mihi jàm eundum est ad nundinas.

Ped. At mihi nihil faciendum *invitâ Minervâ*, id est, si non sit vndè. Sed mittamus ista πάρεργα. Quomòdò valet vxor tua matrona gravissima? Audio jàm gravidum esse: Iuno, Lucina fer opem, obsecro.

Gil. Nos, qui uxores & liberos habemus, non convenit dicta pro debitis accipere, Verba non alunt familiam.

Ped. Imò certè si Ciceroniana. Dromidotus meus est vel Dromone quovis tàrdior: hæc enìm etymologia nominis eius.

Gil. Ego ferre nequeo procrastinationes istas. Merces mihi emendæ præsenti pecuniâ, non sententijs.

Ped. Habes confitentem reum: tantum tibi debeo, quantum hominem homini debere fas est.

Gil. Omninò hoc tibi verè excidit, fas non est, neque erit. Video mihi deinceps lege agendum esse.

Ped. Eodem revolvêris. *Necessitas non habet legem.* Sed eccùm, tandèm adest amicus quidam meùs, quicum necessaria negotia intercedunt mihi. Iàm ergò, præstantissime Gilberte, salus ipsa te nobis & reip. diutissimè seruet incolumem.

Gil. Heus, edico tibi, nisi nummos paraveris in diem crastinum, in ius te traham; vale.

Ped. *Qui non est hodiè, cras minùs aptus erit.*

Actus Quintus. Scena Quarta.

DROMODOTVS. PEDANTIVS.

D. QVid tibi cùm istoc erat commercij? Videtur ex habitu unus ex *brutalibus istis* atomis plebeijs & extra nostram intelligibilem sphæram positus.

Ped. Est unus ex debitoribus meis, quos habeo plurimos pessimæ fidei: quem

quem, quia non satisfacit mihi, obiurgavi mediocritèr.

Dro. Mediocriter? Rectè: virtus enim est *mediocritas inter duo extrema.* Sed cur non Amas etiam mediocritèr & (significantiùs loquendo) *virtuosè?*

Ped. Respondebo tibi negatione duplicatâ. Nec, quam Amo, est res mediocris, nec Amor meus diffluit extra ripas rationis. Vides hîc geminatum esse *nec* vocabulum negativũ concinnè admodum, per figuram *Anaphoram.*

Dro. Sed cur me jàm accersivisti? Malè tibi faciant proptereà omnes planetæ nuptiales. Erat acumen meum occupatissimum circa longitudinem, latitudinem, profunditatem *mundanæ identitatis*, & (nisi tu me avocâsses) percurrissem (ordiendo ab elemento primo *Cognoscibilitatis*) universam scalam naturæ, in qua inest & *occultum oculti*, & *non occultum non occulti.* Sed quid jàm? stantne res tuæ fundamentalitèr adhuc? an potius metuis contingentia

quæ-

quædam?(quanquam poteſt controverti an ulla ſit fortuna omninò.)

Ped. Acta jàm & tranſacta ſunt omnia, vti ſpero.

Actus Quintus Scena Quinta.

BLETVS. PEDANTIVS. DROMODOTVS.

Ble. Here, nuncium apporto triſte, ac dolere te jubeo.

Ped. Dolere verò verbero? Amat nè me Lydia?

Ble. Maximè quidèm, aut perbellè ſimulat.

Ped. Tum doleat qui volet, ego lætabor. Nàm ſi appropinquante Phœbo prata rident (ut ait Virgilius) cur non ego hujuſce Solis mei radijs amatorijs recreatus gaudebo ſimilitèr? Non potes efficere ego ut doleam.

Ble. Nummos, quos miſiſti—.

Ped. Quid ais? perfide.

Ble.

Ble. Lydiæ tradidi in manus simul universos.

Ped. Factum pol benè: facient hæc, ut ridendo fortassè doleam: quod memini legisse me de quibusdam.

Dro. Profectò non est id impossibile; nàm si fortè splen (instrumentalis pars risibilitatis) extendatur ultra terminum temperaturæ, ex eoque ruptura aliqua sequatur, ejus hominis ipsa mors erit *ridibunda:* licet alij ponunt causam in septo transverso.

Ble. Libera jàm est, & persolvit seni, quod ille cupierat.

Ped. Splen meus in largissimam latitudinem extenditur. Ha, ha, he.

Dro. Quid rides ità *Democriticè?* Fugiant procul nimietates omnes à nobis. Requirit hoc gravitas non solùm physica, sed & metaphysica.

Ble. Sed non potest jàm tibi nubere: ægrotat enim.

Ped. Ægrotat? O Æsculapi, id mihi visus es dicere, *Abi citò & suspende te.* Nunc ego ægroto.

Ble.

Ble. Ægrotat, inquam, graviter.

Ped. Ægroto (inquam) graviter. Heu. hei.

Dro. Quid ploras Heracliticè evaporans voces non solùm diversas, sed planè dissentaneas, respectu Philosophiæ? Ægrotat fortasse illa ex desiderio quodam impetuoso tui.

Ped. Sic ego ægroto ex desiderio ejus quodam impetuoso.

Ble. Concrepuit jàm ostium ab eâ; expectate parumper.

Actus Quintus. Scena Sexta.

TVSCIDILLA. PED. DROMODOTVS CROBOLVS.

T. ME miserum! quid hoc portenti est? Virginem tenellulam perire tàm subitò, etiàm instantibus nuptijs? Nonne monstri simile est?

Ped. Dromodote, Dromodote; aufer mihi

mihi huncpugiunculum meum citò, ne meâ me manu occidam illicò. Lydia mortua est.

Dro. Si mortua est, est mortua. Mater mea etiàm mortua est: Quid tum postea? Iàm cùm cœteris animis separatis in galaxia seu via lactea cohabitat. Et licèt fuistis vos duo Relativa actu (quorum est sese simul ponere & auferre, ut sublato uno tollatur etiàm alterum,) tamèn ea proprietas relativorum de vocibus intelligi debet, non de rebus ipsis; itàque sublatâ jàm conjuge, *maritus* etiam moritur, non autèm *Pedantius*.

Ped. Nequicquam suades Dromodote: *Vita non pigeat, cùm funus amatur?* id est, cùm Amor funestus & funebris sit. Mihi ergo res ad restim redijt.

Tus. Moritura nihil ægre tulit, nisi quod animam non efflaret in sinu viri illius docti & incomparabilis.

Cro. At quisnam erat ille vir doctissimus, cujus tàm crebrò tot cùm suspirijs mentionem fecit?

Ped.

Ped. *Erat ego*, (si ità loqui liceret) qui si tot haberem vitas, quot habuit oculos Argus, (habuit autèm centum si credendum sit Ovidio) eas omnes protinus tenebris darem Tartareis.

Dro. Fatcor annum hunc tibi verè climactericum fuisse, constellationem revolutionemque fati malevolam: Sed visne ista valere *ad destructionem subjecti*?

Cro. Pedanti, occurris opportunè nobis, particeps dolorum omnium. Hunc ad te misit Annulum Aureum Lydia moriens, cui insculpitur *Cor sagittâ transfixum*: scilicet tui in extremis non oblita, Amoris erga te sui hunc tradidit Testem fidelem; Quæ etiam expirans Ipsa vitam tibi precata est fœlicissimam.

Ped. O *Clotho*, *Atropos*, & tu *fatum*! (dictum quidem à *fando*, sed nefandum fatum, cui irascor ex animo) ô fallacem hominum spem, fragilemque fortunam! Obruta est & mersa in mari mortis antequàm me portum suum attigerat

Lydia

Lydia meaq; nam defunctam jàm in hoc annulo tamen deosculabor propetuò. Iam Cor mihi, non Amoris, sed Mortis sagittâ transfigitur, & dictum erit nullum de Venere, sed, *Mors mihi sors. Policratem Samium* scribit meus Cicero fortunatum fuisse quia annulum (quem in mari amiserat) reperijt in ventriculo piscis sibi venditi: Ego vero omnium infœlicissimus, qui meum Annulum reperiendo, me ipsum meamque animam perdidi. Iam verè dicturus sum me amâsse perditè, quia Lydiam amittendo, ipse pereo Miser.

Dro. Amice Pedanti, non tu stultus, non tu animal irrationale? Videtur quod sic. Nam tu vir es cum virga activus, &; fles tamen tanquam puer tuus sub virgâ passivus. Attende quid Philosophus dicit. Nihil generatur quin idem corrumpitur: & quicquid est in hac sublunari mundiali sphæra sicut *habet Esse in actu*, sic habet *non Esse in potentiâ.* Quapropter ego non magis miror istam à vita (quæ est terminus à quo) ad

ad mortem (quæ est terminus ad quem) pervenisse, quàm si quis vestrûm ovum hîc frangeret.

Cro. O sancte *Francisce*, (qui cœli *Sacellanus* es, & confiteris pro confitentibus) oro ut huiusce Virginis purissimam carnem ne sinas vel corrumpi sordibus, vel corrodi vermibus.

Ped. Lydia mea charissima, charissima inquam, cùm respectu Amoris, tùm respectu pretij etiàm non parvi (charitas autèm utrûmque significat, quod docti sciunt) quæ in hoc minutulo animalculo tuo, in hoc pectusculo Pedantiano videbas, vigebas, virebas, ne mihi succenscas, obsecro, si vivam adhuc paulisper. Decrevi siquidem sepulchrum tibi & marmoream statuam ponere (sicut *Alexander* magnus in memoriam caballi sui *Bucephali*, urbem erexit) tùm etiam tragœdiam cõficere *De vitâ & obitu utriusq; nostrûm*, eaquę exibit sub nomine tuo, cjusque tu eris matrona (cur non enim matrona, sicut patronus) nuncupabo autèm, *LACHRYMAS MVSARVM*. *Dro.*

Dro. Imò Pedanti, quandiu imaginatiua virtus tua vel *de istâ*, vel *circa istã*, vel *in ista* defixa est, tàmdiù anima sequitur temperaturam corporis.

Tus. Cum illa vtinàm & ego perijssem simul: plurimas ego virgines antehac, & non virgines docui mortem ut contemnerent: Vitam se dixit suam vili pendere, Te fata modò seruent incolumem.

Ped. Ægrè quidèm maneo in vitâ (siquidem vita hæc potius dicenda sit quàm mors ipsa) mortem nemo quidèm bonus reformidat. Non est enim mors ijs terribilis, quorum vivit post funera virtus: sed (quoniàm illa sic voluit) utinàm possem Nestoreos in annos vivere, & utinàm certè, at non ad deponendum, sed ad confirmandum dolorem.

Dro. Hoc autèm simile est ei, quod scripsit Aristoteles Alexandro de libro Physicorum, *editum eum esse, quasi non esset editus*: sic tu vives quasi non viveres.

Tus. Quin etiam noluit ut lugeres.

Ped. Nec lugeo: grauis sum, non mœstus: multùm hæc inter se differunt. Quid si vestram hanc gravissimam monasticam vitam profitear posthac? Possum jeiunare, ut Philosophus ille, qui contemplationi deditus quotidie oblitus est prandij.

Cro. Illa jussit tria hæc proponeremus tibi, vel ut aulam adires principis, velut longissimas regiones inviseres peregrinando: ut vel aliam ames, ducasque vxorem quamprimùm.

Dro. Imò quàmpostremùm. Nàm quandoquidèm omne corpus constat ex superficiebus, & superficies ex lineis, & linea ex punctis; qui non vult corpus componi, cavere debet à punctis. Sic quoniam *Amor est punctum quoddam stultitiæ*, stultitia autem est quidditas, quantititas, dimensio, corpus etiam miseriæ, tu Pedanti, si nolis esse miser (adverte, non dico, non fœlix, sed prorsus, miser) Amores amove deinceps, præsertim cùm materia circa quam

sublata

ſublata jàm ſit, & (quià contraria ſucceſ-ſivè ineſſe debent in eodem ſuſceptibili) ſapientiæ & arti des operam, mecumque in Academiam revertare, ex qua tu poſtquàm exijſti, non eſt ulla reperta res, qua ſuffulciantur *Ciceroniani.*

Ped. Redeam? Non ſi me tota Academia veſtra humeris ſuis reportaret. Ego hactenùs in hoc Tuſculano meo, & in negocio fui ſine periculo, & in otio cùm dignitate. Artes enìm nobiſcum & peregrinantur & ruſticantur: de illis ac de me-ipſo cùm cogito, venit in mentem mihi, quod de Hannibale referunt historiæ: *Vincere ſcis Hannibal, uti victoria neſcis*: ſic illi in eligēdo me prudentes erant, in dimittendo plus quàm ſtolidi. Quod ad Lydiam ſpectat, cùm ipſa ſic monuerit, ne me macerem, mortem deinceps ejus non lachrymis ſed lætitijs recolam, quod *Thraces* olìm ſolebant.

Dro. Nihil facere potes magis naturalitèr; nàm natura nihil fecit fruſtrà;

Igitur

Igitur nec tu debes frustrà lugere eam quæ est irrecuperabilis. Præterea *non est deliberare de præteritis* : ut notat Philosophus in Ethicis. Postremò quod factum est infectum esse nequit, neque per Deorum potentiam; quod *Agatho* Philosophus pronunciavit irrefragabilitèr, teste eodem Aristotele.

Cro. Maximè autèm monuit illa, ut obscurum hoc deseras rus, proculque hinc abeas, ne continuos tibi ejus memoria mærores novos afferat.

Ped. Sapientissimè sanè suadet. Oculi enìm augent dolorem. Sic itaque statuo. Proficiscar illicò hinc aliquò remotissimas in oras, tanquàm Vlysses aliquis, *Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.* Nec quisquam hìc me unquàm post hunc diem visurus est denuò.

Cro. Ego nunc intus eo, ut Lydiam ad nuptias, epulas ad cœnam parem: nàm iste quamprimùm abcesserit hinc, nuptiæ conficientur illicò.

Ped.

Ped. Vale mortua, *Longùm* (adverbium) longum formosa vale Lydia, vale Venus, vale Amor, vosque (circumstantiæ factorum illorum) locus & tempus valete: vale Dromodote, vale Franciscane. Vale vicina Academia. O fœlicem illam Academiam, quæ Pedantium recèperit, miseram illam, quæ amiserit. *Exit.*

Dro. Sălve Philosophia, salve *Saturne* fons melancholiæ, salve subtilitas, salve distinctiva contemplatio. Iàm ego ad studia mea redeo tanquam lapis ad universi centrum recurrens naturalitèr. *Exit.*

Cro. Vale *Franciscane*, salve *Crobole*: Vale Dromodote, salve tu ipse Ego mortalium fortunatissime. Vale Pedanti, salve rediviva Lydia. Salva jàm omnis res est, & ego valeo, ut volui, Sponsus lætissimus. Vos spectatores salvete simul & valete: qui doletis verbivendulum hunc illusum, plangite, qui gaudetis meum gaudium, mecum jam Plaudite.

FINIS.

Fabulam Lecturo.

Festinans Canis (Leporarius) hos cœcos peperit Catulos, &c.

Erratula corrigenda.

Pag. 5. lin. ult. (lege) Here. *p. 21. l. 10.* Sodales. *p. 22. l. 21.* Age. *p. 23. l. 11.* potes, *p. 24. l. ult.* passionem. *p. 40. l. 8.* Dæmones *p. 41. l. 16.* irretitos. *p. 86. l. 13.* ergo *p. 88. l. 21.* promotus *p. 131. l. 17.* non inultum.

Si prætereà in Heterographiam alicubi impingas, *Pedantio* deputandum: ubi ad Punctula offendis, *Dromodotus* luat: Leviora nedum *Parillo* condonanda, cui Exemplaris hujusce exscriptionem debemus & agnoscimus.

———*Veniam pro laude.*———